

**Opera Varia**

**Noris, Enrico**

**Lugduni, 1707**

Historica Dissertatio de uno ex Trinitate carne passo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72494](#)

# HISTORICA DISSERTATIO

De uno ex Trinitate carne passo.

ACCE DUNT

HISTORIÆ PELAGIANÆ

HENRICI NORIS

Ab Anonymi Scrupulis Vindiciæ.

Quid adhuc queris examen; quod jam factum est apud Apostolicam Sedem?

S. Augustinus lib. 2. Oper. Imperf. contrà Julianum num. 103.



АСІЯ  
ОТАСІЯ  
De uno ex Trium parte curie p[ro]p[ri]o  
ACCEPANT  
HISTORIE PETAGIANA  
HENRICI NORI  
Ap Amoni Scholae Vindelicis.



# A D L E C T O R E M .



**P**AUCIS te volo, Lector optimæ, siquidem singulæ præfationes quibusque hujusc ope-  
ris Dissertationibus præpositæ prolixioris in limine procœmii  
onus imminunt. Annus agitur alter & vi-  
cesimus, ex quo Historia Pelagiana ac Vin-  
diciæ Augustinianæ auctore Henrico de No-  
ris Augustiniani instituti viro in lucem pro-  
diere. Utrumque opus anno 1672. supremæ  
Romanæ Inquisitionis decreto à viris doctissi-  
mis Roma diligent & accurato examine ex-  
pensum, ac probatum, tantam statim Au-  
ctori gratiam apud Eminentissimos Patres  
conciliavit, ut eorundem rogatu Clemens X.  
Norisum inter Romanæ Inquisitionis, uti  
vocant, Qualificatores adlegerit. Cum  
anno proximo 1673. utrumque opus Patavi-  
nis typis excusum, ac dein iterum ac tertio  
extra Italiam impressum, per ora manusque  
Eruditorum volitaret, nonnulli, quorum  
nomina appellare exemplo nihil, silere hu-  
manitatis plurimum refert, utrique volumi-  
ni primùm quidem clanculariò genuinum in-  
figere cœperunt; dein animosiores facti,  
eadem apud Romanæ Inquisitionis tribunal  
plurium errorum accusantes, alterum de iisdem  
examen impetrarunt. Ita anno 1676.  
laudati libri plurium Censorum judicio ex-  
pensi, indemnes, nullaque Theologicâ no-  
tâ perstricti, æmolorum impetum structasque  
insidias feliciter evaserunt. Interim Nori-  
sius in Pisanâ Academiâ Ecclesiasticae histo-  
riæ professorem agens, inducias in annum  
usque decimum sextum ab adversariis obti-

nuit. Cum verò anno 1692. INNOCEN-  
TILIS XII. Pontifex Opt. Max. Noriso Vati-  
canæ Bibliothecæ Præfecturam detulisset,  
novus honor Auctori destinatus, ejusdem  
libros in nova rursus discrimina adduxit.  
Nam adversarii sparsis quaquaversus libel-  
lis, veteres accusationes restaurantes, eun-  
dem prædamnatæ Jansenii doctrinæ insimu-  
larunt. Tum Summus Pontifex plures  
Theologos, qui procul à partium studio  
erant, delegit, iisque librorum Norisi ex-  
amen commisit. Et hi quidem doctissimi ac  
eruditissimi Viri diligenter atque accuratè in-  
uncto munere perfundi, nullam in Norisi  
libris sententiam censorio stigmate confixe-  
runt; cuius quidem judicij, licet secretis su-  
fragiis peracti, exitus indè apparuit, quod  
Summus Pontifex Norisum in collegium  
Consultorum Romanæ Inquisitionis coopta-  
vit. Ita sine exemplo, quod sciamus,  
unus idemque liber semel, iterum, ac ter-  
tiò in tremendo illo tribunali censurę subje-  
ctus, ac totidem etiam vicibus omnicenfurā  
immunis evasit. Cum verò triplex judici-  
um tam sincerum, tam grave, tamque cir-  
cumspectum toties restauratis accusationibus  
jam tandem finem imposuisse putaretur,  
inventus est novus criminandi modus, quo  
non tam Norisi volumina, quam exercitum  
de iisdem judicium in invidiam voca retur.  
Nam quidam quò suram erga supremum  
Quæstorium fidei tribunal reverentiam in  
speciem saltem præferre videretur, quos-  
dam ipsiusmet librorum Norisi Censoribus li-  
bellos, Scrupulorum titulo præsignatos, in-  
scribit,

Scripsit, ut ad eos scrupulos veluti ad scōpu-  
los eorumdem Censorum judicium allidēre-  
tur. Hac ille præfatur; Nemini videbor inve-  
recundè scripsisse, qui istas qualescumque animad-  
versiones non alio, quam scrupulorum titulo dona-  
verim. Petrandus insignis Carthaginensis  
Ecclesiæ Diaconus in Parænetico ad Reginum  
Comitem cap. 12. sribit: Si quando aliquis  
scrupulus mentem moveat, non sequaris facile senti-  
entiam propriam, nec aliis persuadere coneris.  
At bonus ac simplex homo suos scrupulos in  
disseminatis ac dispersis quaqua versum libel-  
lis publicavit, ut sinistra, quam de lato à  
Romanis Censoribus judicio ipse concepe-  
rat, opinio per om̄ium animos longè late-

que pervaderet. Hinc subinde, Optimi  
Censores, ut Ciceronis in Oratione pro Ro-  
scio Amerino verbis utar, Hunc sibi ex animo  
scrupulum, qui se dies noctesque stimulat, ac  
pungit, ut evellatis, postulat. Verum cum  
Censores nulli præhabiti abs se judicii ratio-  
nem scripto prodere teneantur, imò nec ci-  
trà perjurium publicè reddere possint, eo-  
rum partes in me recipiam, daboque ope-  
ram, ut adversarii passim & ubique alienorum  
dictorum scrupulissimi & calumniosissimi discus-  
sores appareant, ut olim Facundus Episcopus  
Hermianensis lib. 10. de tribus Capit. cap. 7.  
scribebat,



DISSE-

# DISSERTATIO I.

## IN HISTORIAM CONTROVERSIAE

DE UNO EX TRINITATE PASSO.

**D**iurniori schismate, quo Orientalis Ecclesia ab Apostolicâ Romanâ Sede sejuncta fuerat, Hormisdæ Pontificis Maximi operâ, ac Justiniani Imperatoris pietate composto, veteres potius discordias desisse, quā pacem cœpisse, nova rursus subita controversia monstravit. Illa quidem in angulo Scythiae Europæ apud Tomos à paucis Monachis excitata, Orientem simulque Occidentem, ac Meridiem uno veluti momento instar incendii pervagata, per quinque ferè lustra Orthodoxos varias in partes distractit. Quamvis autem Romanorum Pontificum, ac Imperatoris Justiniani editis magnus tot litigiis dies impositus tandem fuerit, non defuere nostrâ ætate tūm Sectarii, qui variatæ cā in causâ sententiæ Romanos Pontifices impudenti calumniâ accusarunt; tūm scriptores quoque, qui Catholicî & esse, & haberi volunt, qui ex antiquitatis cā in causâ gestis, quibusdam prædamnatis famosis propositionibus defensionem comparare pertentarunt. Inde etiam duo nuperi Auctores ex descriptâ cā ipsâ ab Henrico Norris controversiâ, eundem ut Romani Pontificis in definendo infallibilitati obnoxium traducere conati sunt. Denique non una eademque est de ejusdem questionis auctoribus inter Historicos ac Theologos sententia; siquidem nonnulli Monachos illos Scythes in speciem quidem Catholicos, Eutychianæ tamen hæresi occultis artibus studentes obrudunt, quos alii doctissimi Scriptores ab omni prorsus Eutychiano errore alienos locupletissimis testimoniis ostendunt. Induxi animum in hanc totam causam descendere, ac diu controversæ propositionis statum, ejusque varios tūm apud Catholicos, tūm etiam apud Eutychianos sensus exponere. Hoc ut enucleatè exequar, illius originem, progressum, ac denique exitum in optimo, ut spero, lumine colloabo, quo postea illata à quibusdam Historiæ caligo facile dissipabitur.

### C A P U T I.

**S.** Proclus propositionem, Unus è Trinitate est incarnatus, & passus, omnium primus contrâ Nestorianos afferuit. Justinianus Imperator aliquie contendunt eandem in Synodo Calchedonensi approbatam fuisse. Quidam cā in synodo damnata putant. Neutra opinio probatur.

**D**amno in Synodo Ephesinâ Nestorio, Theodosius Imperator impios ejusdem libros igne absumendos, emissò edicto, decrevit, ita ut, inquiens, nemo in religionis disputatione aliquam supradicti nominis mentionem faciat. L.66. de Hæret. Cod. Theod. At Nestorianæ hæreses sectatores, quid dannata à Synodo doctrine maiorem aliunde auctoritatem adiicerent, id consilii ceperunt, ut eandem à Theodoro Episcopo Mopsuestiæ in Ciliciâ dudum traditam publicarent. Nam Theodosius in ore famæ toto passim Oriente versabatur, quippe qui decem millium voluminum scriptor laudaretur, ac quindecim præterim libros contrâ Apollinarium exarasset, in quibus universa Nestorii ipsius quondam discipuli doctrina tradebatur. Hac fraude Nestoriani usi sunt, ut recens

dejecta hæresis sub magni nominis umbrâ vires resumeret, ac sub Theodori laryâ incautis illuderet. Verum Orthodoxi Episcopi, ac Abbates majoris Armeniæ, quid præsentissimo malo statim occurserent, syllabus errorum ex Theodori libris colligentes, codem S. Proculo Patriarchæ Constantinopolitanô damnandos, per legatos obtulere. Proclus Cyzicini nomine tenus Episcopus, omnium primus, tum sedente in Regia Urbe Nestorio, in celebri ibidem Ecclesiâ contrâ ipsius adversus Deiparam voces classicum cecinerat in elegantissimâ, quæ extat, homiliâ. Erant duo veluti fulmina belli contrâ Nestorium Cyrus Alexandriae, & Proclus Constantinopoli. Hic ergo legens delata sibi capitula, eadem ut Nestorianâ peste infecta damnavit, datis cā de re literis tūm ad Armenios, tūm ad Joannem Patriarcham Antiochiae, utrique scripto subjiciens anathemata con. singulas Theodori propositiones. Has inter erat hæc ex Epistolâ ad Armenios Collat. V. Synodi V. recitata: *Homo homini consubstantialis Deus autem Deo consubstantialis. Quomodo ergo Deus, & homo unum per unitatem esse possunt?* Hinc in Christo duo supposita, sive personas commentabatur, ita ut B. Virgo purum hominem pepererit, quem postea Deus affectu voluntatis sibi copulavit. In laudata Synodo Collat. IV. in syllabo errorum Theodori n.45. hæc illius dicta recensentur: *Et duas nativitates Deus Verbum non suslinuit: unam quidem ante secula, alteram autem in posterioribus temporibus.* Quarè negabat B. Virginem esse Dei genitricem, ibidem num. 43. Denique num. 38. scriptisæ dicitur: *Quod Deitas separata quidem erat ab illo, qui passus est secundum mortis experimentum,* Proclus in Epistolâ ad Armenios, ut scribit Liberatus Diaconus cap. 10. Breviarii, *Tosuit ad interimendas Nestorianorum veras, qui duas in Christo inducent personas, unum de Trinitate incarnatum.* Sententia Procli interprete Dionysio Exiguo in hæc verba concipitur: *Nec enim dicentes Filium passum, ratione Deitatis eum passum sentimus, sed conscientes Dei Verbum unum ex Trinitate incarnatum, tribuimus intelligendi materiam iis, qui fideliter sciscentur, cur incarnari dignatus sit.* Idem in Epistolâ ad Joannem Antiochenum ait: *Dicentes autem iterum passibilem Deum, id est, Christum, contemnemus non eo passum, quod erat; sed quod factum est, id est, propriâ carne, & ita prædicantes, nullo modo falsum; quoniam quidem & unum ex Trinitate secundum carnem crucifixum factemus, & divinitatem passibilem minime blasphemamus.* Hoc testimonium recitant Facundus Hermianensis initio lib. 1. de tribus Capitulis, & laudato loco Liberatus. Joannes II. Pontifex in Epist. 3. ad Senatores hanc aliam Procli sententiam refert: *Quid enim est, quod nos sapimus. In hac ipsâ essentiâ, quâ constat, Funitus est Filius Patri, & spiritui, non dicimus eum passum; sed carne, quæ ex nobis, & pro nobis est factus. Non autem alius est factus, nisi unus de Trinitate, & crucifixus est carne, quâ passus est &c.* Maxentius in professione fidei hæc recitat tanquam excerpta ex epistolâ ad Armenios, in quâ tamen non leguntur; unde Petavius arbitratur Proclum alteram ad Armenios epistolam misisse, quæ intercederit. Ipse tamen puto,

K

Pro-

Proclum datis ad Armenios, & ad Joannem literis cādē Theodori capitula cū ānēxis confutationibus subjecīsle, uti proximē Orientales facerēt, refellētes duodecim capitula Cyrilli, & ipse etiā Cyrilus argūs ejusdem Theodori errores. Extant inserta collat. V. Synodi V. fragmenta literarum Procli ad Joannem Antiochenum, in quibus *supposita ad Armenios epistola capitula* Theodori memorantur; idemque Proclus in alterā epistolā ad eundem Patriarcham Antiochiae scribit: *Et illa capitula, quae subjecta sunt, repuli, apud Facundum Hermianensem lib. 8. cap. 2.* Quarē cūm eadem Theodori capitula cum redargutionibus annexa fuerint tomo ad Armenios, ac pariter literis ad Orientalem sub Antiocheno Antifite Synodum, utroque ex scripto confutations Procli recitantur.

Ex hactenus laudatis S. Procli testimoniis duæ istæ propositiones ab eodem contrā Theodori, ac Nestorii sectatores statutæ colliguntur: *Unus de Trinitate est incarnatus*, & altera: *Unus de Trinitate crucifixus est carne*; de quibus thesibus Catholici postea acerrimè secum invicem disputarunt. Prior propositio designat pro subiecto ipsam personam Verbi Dei, qui suauet subsistentiā personali humanam naturam in unitatem suppositi verè ac physicè assūmens, dicitur incarnatus, quod est ejusdem propositionis prædicatum. Altera verò propositio verificatur tantum secundūm communicationem idiomatum, secundūm quam crucifixio seu passio affirmari potest de Verbo uno ex Trinitate, cūm non ipsum, sed caro tantum assumpta verè ac physicè passionem subjerit, Verbo manente impossibili. Prior thesis reduplicativè vera est: altera tantum specificativè, ut inquit Scholastici, quia Christus, qui secundūm naturam humanam passus est, unus est de Trinitate. Synodus Calchedonensis in prophonetico ad Marcianum Augustum, cūm dixisset Cyriillum in literis ad Orientales fidei dogmata declarasse, addit: *Et magnum Proclum, qui eisdem Orientalibus volumen ad Armenios pro fidei congruentia destinavit.* Porrò hocce Synodi elogio tantum auctoritatis epistola five tomo Procli ad Armenios accessisse putarunt, ut laudatum assertum *De uno ex Trinitate incarnato*, ab eādem Synodo approbatum fuisse Justinianus publicā lege suo Codicis tit. de *Summa Trinit.* inserta promulgaverit. Est epistola ad Epiphantium Patriarcham, in qua ait: *Eadem verò sancta Calchedonensis Synodus & magni Procli ad Armenios scriptam epistolam de eo, quod oportet dicere Dominum Iesum Christum Filium Dei, & Deum nostrum unum sancte Trinitatis, per suam relationem suscepit, & confirmavit.* Facundus Hermianensis initio operis laudati adeundem Justinianum, cūm Procli epistolam à Synodo Calchedonensi commendatam dixisset, ac recitat latè per eundem Principem lege, ait: *Apparuit igitur religio Imperator, quod secundūm sententiam ipsius magna Synodi confessus es, unum de Trinitate pro nobis crucifixum.* Idem tradit Ephremius Patriarcha Antiochiae apud Photium Cod. 228. Vigilius Papa in Constituto loquens de eādem relatione Synodi ad Marcianum, hac scribit ad Justinianum: *Quam vos quoque rebus legibus, dum Orthodoxā professione unum de sancta Trinitate Christum Deum ac Dominum nostrum confitendum adstruitis, ad testimonium laudabiliter adduxistis.* Verū quavis magna Synodus epistolam Procli ad Armenios laudaverit, haud inde sit consequens, ut omnes ibidem assertæ propositiones censi possint speciali approbatione Synodi confirmatae. Unum tamen evincitur, videlicet nullum in eo Procli scripto erro-

rem contineri. In Concilio Romano sub Sancto Gelasio Papā una Sancti Leonis ad Flavianum epistola in omnibus usque ad unum iota recipienda jubetur, ut nihil illius citra lāsæ fidei piaculum, in dubium à quoquam possit revocari.

Utī verò varia sunt hominum iudicij, non defuere qui eam propositionem, *Unus è Trinitate passus est*, non modò à Synodo Calchedonensi probatam negaverint, verū etiam contendenter in eādem potius damnatam sūsse. Nam in Actione IV. Dorotheus Monachus Eutychetis sectator dixit se credere in Christum, addens: *Hunc ex Trinitate esse fatemur, & statim: Credimus ergo illum passum ex Trinitate esse.* Hinc Diocorus Hormisdæ Papæ ad Imperatorem Justinum Legatus, in suggestione ad eundem Pontificem, quod ostenderet propositionem de uno ex Trinitate passo, esse erroneam, ait: *Istud & Eutychetis discipuli in Synodo Calchedonensi proposuerunt.* Trifolius etiam id temporis in epistolā ad Faustum Senatorem scribit, Dorotheum Eutychianum, ac Carosum ejusdem secte Monachum dixisse in Synodo memoratā: *Unum de Trinitate esse passum*, additque: *Talia dicentes superscripti Archimandrita accepterunt damnationem cum Eutychete, & omnes heretici.* Verū non ob eam prolatam propositionem iūdem Archimandritæ damnati sunt, sed quia ibidem Eutychetis errorem de unicā in Christo naturā sequerantur, ac de Hæresiarchā dixerū: *Quia orthodoxus est homo, & sit ei calunia.* Ferrandus Diaconus Carthaginensis in doctissimā epistola ad Anatolium R. E. Diaconum cap. 16. ait: *Nec more quenpiam debet, si verè hanc sententiam, sicut à quibusdam dicitur, Eutychetis protulit apocrifarius in Calchedonensi Concilio. Sapè etiam per ignorantē loquitur veritas.* Rectè autem monet, Patres noluisse eam propositionem Synodicis definitionibus inserere, Ne viderentur intellectum loquentis potius adprobasse, quam verba. Utī enim Catholici ea verba congruo ac dextro sensu accipiebant, ita Eutychiani eadem depravatè interpretabantur, ut mox exponemus.

## C A P U T II.

*Propositio:* Unus è Trinitate est passus, à Petro Fulcone Eutychiano sensu exposta. Sanctus Felix Pontifex Romanus fateatur Christum unum de Trinitate: eundem non in Deitate, sed carne passum. Imperator Zeno unum è Trinitate in Henotico publicat. Hoc editum Patriarchæ Græci recipiunt; at Ecclesia Romana condemnat. Sancti Euthymius ac Sabas Chrysostomum unum de Trinitate contrā Nestorianos prædicant. Imperator Anastasius in pseudosynodo damnandos curat negantes unum de Trinitate passum. Id adiicit Trifolius. Severiani eādem propositione abusi: quam Catholicici recte sensu professioni fidei inserunt.

Eutychiani Nestorianam hæresim oppugnantes, quodam veluti pugnae furore abrupti, in extremos errores deciderunt, dum in mysterio Incarnationis Dominicæ utrique ea dogmata renovarunt, quæ dudum Ecclesia in Sabellio atque Ario, in arcano Trinitatis exponendo, damnaverat. Etenim Nestorius ex duplice naturā Christo inexistenti, duas quoque in eodem personas obtruserat. Ex adverso Eutyches ex unitate personæ in Christo, unam quoque naturam commentus est. Equidem Eutychiani in Synodo Calchedonensi proscripti, quod damnata hæresi fidem facerent, binas propositiones à sanctis Patribus contrā Nestorianos statutas, magno apud sectarios plausu, Catholicis objectabant. Prior erat mutuata ex S. Cyrilli libris sententia; Una Dei Verbi natura

*incarnata.* Alteram ex Procli epistolis desumpserant : *Unus è Trinitate est passus.* De thesi Cyrilli quadam opportuniiori inferius loco subnotabo. De Procli pronuntiato juxta suscepsum argumentum , sermonem tantum instituam. Petrus Fullo Eutychianorum pessimus, Antiochenæ sedis invasor, cùm unicam eamque divinam in Christo naturam adstrueret, eandem quoque passam fuisse affirmabat, ea se tradere testatus, quæ magni in universâ Ecclesiâ nominis Proclus paulò antè docuerat. Ita homo vafer & perditus sub pulchriori larvâ heresim turpitudinem oculare tentabat. Nam S. Patriarcha hac disertè in Epistola ad Armenios scribit: *Nec enim dicentes Filium passum, ratione Deitatis eum passum sentimus; divina siquidem natura nullam prorsus recipit passionem: sed confitentes Deum Verbum unum ex Trinitate incarnatum &c.* Ubi docet idè Verbum hominem factum, ut qui Deus nulli poterat passioni subjectus esse, homo factus , passionem subiret. Idem autem Fullo quò suam cunctis heresim instillaret, sacre hymno Trisagii : *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis,* appendicem inseruit: *qui passus es pro nobis,* sperans sceleratæ adjectionis cantilenâ Clerum, ac populum ad impia blasphemia professionem compellere. Cùm verò passim argueretur, quod Trinitatem, quæ eo hymno invocabatur, passam mentiretur, novo errore priorem commutans, Trisagium soli Verbo Deo cani autunavit, qui solus passus est pro nobis, ac proinde non tota Trinitas, sed unus è Trinitate passus , sèpius eidem pro concione dicebatur. Horum testis est idem qui supremus Ecclesiæ judex sententiam contrà eundem Fullonem pronuntiavit Felix III. hac illimet exprobans Epist. 3. At verò tu in Ecclesiâ ausus es dicere, quod unus increatus, atque individuæ Trinitatis passionem subiit: & per hoc consubstantiale quoque solus niteris , ac Deum subjecere numero. Etenim cùm in Christo uno ex Trinitate unicam naturam divinam statueret, consubstantiale Dei naturam negabat, unâque tres Deos impie inducebat; siquidem Fullo dicebat, *Unum de Trinitate passionem pro nobis pertulisse in substantiâ Deitatis,* teste eodem Felice Epist. 5. ad Zenonem Augustum. Nam substantia passibilis non est idem cum substantiâ intrinsecè impassibili; unde cùm substantia seu natura Filii juxta Fullonem, esset passibilis, natura verò Patris ac Spiritus Sancti impassibilis, una eademque natura esse nequivant; ac proinde divina personæ non poterant dici consubstantiales, sed distinctæ naturæ, atque adeò plures Deos inducentes, juxta Fullonis errorem.

Idem Felix in laudata Epistola 3. ad Petrum Fullonem scribens, ait: *Quâd igitur pars unigenitus Filius consubstantialis Patri, & unus individuæ Trinitatis, increatus, atque invisibilis, impassibilis, & immortalis permanit.* Quod ergo increatum, atque immortale est, creature ne applies, neque Deorum pluralitatem confirmare pergas, dicens Unum sanctæ Trinitatis mortuum esse. Rursus quâ parte ex muliere natus est, & substantia nostra, ac generationis est particeps, absque peccato, sustinuit passionem. Duo in hisce verbis notanda sunt. Nam Filius quatenus unigenitus Patris, dicitur unus individuæ Trinitatis, quæ formula loquendi, ut postea demonstro, in reprehensionem proximo sacculo vocata fuit, ita ut magnis etiam Viris aut odiosa, aut saltem suspecta fuerit, & longiori etiam examine discussa, priuquam ab Apostolice Sede probaretur. Rursus ex laudato Pontificis testimonio pater, Petrum Fullonem blaterale unum sanctæ Trinitatis,

quæ Deum, passionem ac mortem subiisse, non autem quatenus homo erat, uti Proclus contrà Eutychianos, jam jam erupturos, in laudatis epistolis præmonuerat. Scio nonnullis laudatam epistolam haud legitimam videri; sed feci dicendum puto ex Anastasio Bibliotec. in Epistolâ ad Joannem Diaconum tom. XII. Bibl. PP. edit. ult. pag. 834. lit. F.

Cùm Zeno, devicto, ac deinde occiso Basilisco tyranno imperium recuperasset, quod gravisantes passim de religione discordias sopiret, anno vulgaris Epochæ 482. edictum de fide , quod Henoticum dixerat, publicans, universos eidem Episcopos subscribere imperavit. In eo laudata haec tenus Procli sententia in hac verba concepta , legebatur: *Trinitas enim mansit Trinitas, & incarnato uno de sanctâ Trinitate Deo Verbo.* Hocce editum recitant Liberatus cap. 18. Breviarii, & Evagrius lib. 3. cap. 14. At Henotico recipiendo tunc Hæretici, tunc etiam Catholici repugnabant. Imò Severus Eutychianorum primipilus illud programma non ἐνομού, unitivum , sed ἔνομον i. e. inane irridens causâ appellabat. Nam cùm in eodem legeretur: *Eos autem qui dividunt, aut confundunt, aut phantasiam introducunt, omnino non recipimus, pari sententiâ & Nestoriani Christum in duas personas dividentes, & Eutychiani duas Christi naturas partim in unam confidentes, partim phantasticum ejusdem corpus assertentes, damnabuntur;* unde ibi etiam legebatur: *Anathematizamus præcipue verò predictos Nestorium, & Eutychen, & quæ eorum sunt sapientes.* Hinc utraque hæreticorum factio, contrariis licet erroribus addicta, pari tamen consensu Henotico refragabatur. Præterea Catholici animadverentes in eo edito tres tantum Synodos servandas juberi, omisso Concilio Calchedonensi, ac S. Leonis Magni ad Flavianum epistolâ, quibus velut invictis armis Orthodoxa religio de utrâque hæresi haec tenus triumphaverat, Henoticum in Occidente unanimi cum Ecclesiâ Romana consensu respuerunt. Cæterum magna pars Antistitutum Orientis partim amittendarum Sedium metu , partim occupandarum ambitione ducti, Henoticum admirerunt. Acacius omnium primus Zenonis editum, cuius etiam auctor fereretur, approbavit, ac Petrum Moggum Alexandrinæ Sedis incubatorem, abs se anteâ damnatum, in communionem admisit, ubi is pari perfidiâ Henotico consensit. Petrus Fullo ex Antiochenâ cathedrâ semel & iterum ejectus, eandem Henotici subscriptione recuperavit, Calendione Patriarchâ Catholico expulso. Horum exemplo plurimi minorum gentium Episcopî Imperatoris editum in suis quique Ecclesiis publicarunt. Hinc toto passim Oriente præscripta verba resonabant: *Trinitas enim mansit Trinitas, & incarnato uno de Trinitate Deo Verbo.*

Hanc sententiam à Proclo primùm inductam, soli Nestoriani aversabantur, cùm ea tamen ab Orthodoxis in Oriente tanquam Catholici dogmatis symbolum, contrâ eosdem hæreticos prædicaretur. Auctor est Cyrillus Scythopolitanus S. Euthymium insignem in Palæstinâ Monachorum institutorem, in subjectis sibi cœnobiiis Catholicam fidem inter furentes circumquaque hæreticos illibatam servasse: *Ex quo, inquit, etiam circa Christi mysterium Nestorii divisionem, & Eutychis confusionem reiiciebat: piè confitens unum sanctæ & consubstantialis Trinitatis divinum Verbum in ultimis diebus carnem factum &c.* Obiit Euthymius die 20. Januarii, anno 473. Idem Cyrillus in libro de Vitâ Sanctæ Sabæ Abbatis, ait, duos Monachos ad

eundem venisse, quos inquit, *Cum videret eadem sentire qua Nestorius, & neque Christum unum esse sanctum Trinitatis, neque rursus B. Virginem confiteri Deiparam, & alde angebatur.* Hec ille narrat Sabae contigisse antequam Anastasius imperium iniret. Ex his pater Catholicos Leone, ac Zenone imperantibus, communis consensu credidisse Christum unum de Trinitate dicendum esse, quod ipsum omnes etiam haereticorum Henoticum admittentes, fatebantur, solis eam thesim Nestorianis negantibus, contraria quos illammet Proclus in clamaverat. Theodorus Lector lib. 2. Collectan. scribit: *Cum omnes, ut fertur, alii Patriarchæ Henoticum Zenonis approbarent, solus Felix Romanus illi non communicavit.*

Felice Pontifice defuncto, ac ejusdem successore Gelasio, Anastasius pontificatum suscepit, cuius sibi primas curas posuit, ut Orientalem Ecclesiam cum Occidentalib[us], schismate sublato, conjungeret. Hinc Germanum ac Cresconium Episcopos Legatos destinavit ad Anastasiū, qui defuncto ante quadriennium Zenone, imperabat. Cum autem Legati dolosā Anastasiū arte, longiores in regiā urbe moras trahere coherentur, Apocrisarii Ecclesiæ Alexandrinae libellum eisdem obtulerunt, quod in communionem à Romana Ecclesiâ Aegypti admitterentur. In eo libello brevior fidei professio continebatur, in qua hæc cætera inter legebantur: *Quia incarnation illa, quam Dei genitrix secundum veritatem ex se edidit, augmentum filii non efficit. Manet enim Trinitas, etiam incarnato, quod unum ex Trinitate est, Verbo Dei.* Omnes Patriarchas Alexandrinos Henoticum receperisse, testatur Leontius A. & V. de Sectis. Festus Senator Romanus Anastasio Imperatori spopondit, persuasurum se Anastasio Papæ ut Henoticum etiam Romæ publicaret. Verum ubi Felix Romanus rediit, Pontifex vivendi finem fecit; & quamvis ille emptis multorum suffragiis, Laurentium contra Symmachum eligendum curasset cum eo, ut Henoticum approbaret, Symmachus sumpsito schismate, Ecclesiam regendam suscepit. Hæc Henotici in Latina Ecclesiâ repudatio fecit, ut propositio *De uno ex Trinitate incarnatione in Occidente nequam usurparetur, cuius vice Latini Unam de Trinitate personam dicebant; cum tamen prior formula esset per Orientem vulgarissima.*

Anastasius Eutychiana sectæ addictus, sacra omnia perfidus peccatum dabat, eoque res Catholicorum adductæ erant, ut secum invicem Nestorianorum & Eutychianorum factionibus collisi, dubii cæteri haereter, quæ securiori demum viā tot inter hostes incederent. Extat Orientalium epistola ad Symmachum Papam, in qua penè deploratum in Oriente Catholica rei statum describentes, *Inter duas, inquietum, diabolici vias erroris, Eutychetis atque Nestorii: tertiam in modum nobis ostendas expressius veri rectique dogmatis viam.* Dubiam eam fecerunt nostra peccata, estimantibus quibusdam non posse inter Nestorii, & Eutychetis salutis viam medium reperiri, sed quod omnino necesse sit illius esse quempiam, aut illius. Nestoriani ubi quempiam sibi ipsiis contradicentem audiebant, eundem Eutychianum ignominia causa appellabant. Ex adverso Eutychiani cæteris licet Catholicis, Nestorianæ heresos notam inurebant. Vigilius Tapensis Episcopus initio statim libri pri-*mi* scribit, ita utriusque heresos dogmata sibi adversa consistere, *Ut utrumque sine alterius periculo plerique vitare non possint; dum si quis Nestorii perfidiam damat, Eutychetis putatur errori succumbere. Rursus dum Eutychiane heresis impietatem destruit, Nestorii*

arguitur dogma erigere. Idem tradit Facundus lib. 1. cap. 2. Cæterum Anastasius defuncti Petri Fullonis vestigiis insistens, ejusdem errores summo quo poterat imperio, parique perfidiâ promovit. Hec pluribus narrantur in magnis Ecclesiæ Annalibus. In presenti ea tantum, quæ ad institutum faciunt, expono. Victor Tunonensis in Chronico ad Joannis Gibbi consulatum, quo in Fastis signatur annus vulgaris Epochæ 499. scribit Anastasius Augustum Synodum congregase contrâ Diodorum Tarsensem, Theodorum Mopsuestie, Theodoreum Cyrrhi, Cæterosque alios, qui in Christo duas prædicabant naturas, duasque formas, & qui non consententur unum de Trinitate crucifixum, unde cum Leone Episcopo Romano, & ejus tomo, & Synodo Calchedonensi inferri anathema persuasit. Hinc illa propositio: *Unus est Trinitate crucifixus est, ut ab Imperatore Eutychiano, & ejusdem sectæ Episcopis Synodali sententiâ comprobata, & ab iisdem haereticis veluti suæ ipsorum factionis tessera plenis buccis decantata, male olere coepit apud Catholicos in Occidente;* undè postea Dioscorus Hormisdæ legatus de eodem effato ad Pontificem scriptit: *Istud Anastasius Imperator magnoper Catholicis imponere festinavit.* Proclus in Epistola ad Joannem Antiochenum scriperat: *In hac ipsâ essentiâ, quâ constat, & unitus est Filius Patri & Spiritui, non dicimus eum passum, sed carne, quæ ex nobis & pro nobis est factus. Non autem aliis est factus, nisi unus de Trinitate, & crucifixus est carne, quâ passus est.* At Anastasius cæterique Eutychiani malo dolo, vocem carne omittebant, ut Christum in ipsâ divinâ naturâ passum obtruderent, cum juxta placitum sectæ, unicam tantum in Christo naturam esse contendenter. Enimvero Anastasius quod populum Constantinopolitanum in eandem haeresim traheret, ingens facinus aggressus est. Annus agebatur æræ Christianæ 512, idemque vicesimus secundus imperii Anastasi, cum die Dominicæ pridie Nonas Novembbris, in Ecclesiâ Sancti Archangeli magnâ frequentiâ populi, canentibus psaltribus hymnum Trisagii, Marinus ac Plato, Iusu Imperatoris in pulpito consistentes, altiori voce Eutychiam Petri Fullonis appendicem: *Qui crucifixus es pro nobis, cecinere, quibusdam etiam popularibus eam in rem mercede conductis, eandem clausulam repentina bus.* Hinc in ipsâ Ecclesiâ statim orta sectio, ac plebe pro avita religione tumultuante, dejecta Anastasi statuæ, Ariobinda conclamatus Imperator. Mulierum, puerorum agmina, ac Monachorum turmæ diu noctuque per urbem discurrebant, Trisagium exclusâ impia additione, pleniori voce concinantes, & Anastasiū sanctæ Trinitatis hostem inclamantes. Ille vero intrâ occlusas palatii fores latitans, solitis perjuris, ac dolosis verbis populum placavit, jurans nihil deinceps se in sacris Ecclesiæ ritibus innovaturum.

Eodem anno Flaviano Patriarchâ expulso, Severus jubente Imperatore Anastasio, Antiochenam sedem invasit. Hominis Eutychiani flagitia ac sacrilegia suis describunt Clerici Antiochiae in literis ad Joannem Patriarcham, A. & V. Synodi C.P. sub Mennâ, & Cyrillos Scythopolitanus in libro de Vitâ S. Sabæ. Cum Eutychiani secum invicem dissident, Severus retento communis sectæ dogmate de unicâ in Christo naturâ, ac variis decessorum opinionibus rejectis, quosdam veluti peculiares canones producit, qui cum non pauci Sectariorum in Syriâ placuisse, hi passim de magistri nomine Severiani vocabantur. Sanctus Anastasius Sinaï Patriarcha Antiochenus, qui eodem desinente saeculo floruit, in libro,

libro, cui titulus: *Via dux*, cap. 9. scribit Severianus dicere: *In mysterio Incarnationis Christi, qui est unus de Trinitate, unum & idem esse naturam & hypostasim sine personam.* Cùm verò una tantum natura divina in Christo à Severianis adstrueretur, in obiectum à Catholicis absurdum decidebant, ut naturam divinam passam dicere cogerentur, ac in pejorem tñndè blasphemiam detrueris, totam Trinitatem passam ac crucifixam blaterarent. Hæc scribit laudatus Anastasius cap. 15. *Ego dico: Christus carne passus est.* Severiani dicunt: Trinitas passa est. Ecclesia dicit: Christus mortuus est. Severiani aggerunt: Trinitas mortua est, quia omnia quæ dicuntur de Christo, in Trinitatem redundant. Catholici tamen in Syria ac Palæstina duabus Flaviano, ac Eliâ Patriarchis, ac S. Saba Abbatem, ita Christum unum ex Trinitate fatebantur, ut duas in eodem naturas in unâ Verbi Dei subsistentiâ contrâ Nestorianos atque Eutychianos constanter asserterent. Extat libellus professionis fidei, quem Clerici & Abbates diœcesium Antiochia, Jerosolymorum, & secundæ Syriæ statim post extinctum Anastasiū, Justino novo Imperatori obtulerant. In eo scripto inquit: *Nunquam per Christi gratiam à traditis nobis rectis dogmatibus deviavimus, sicut rerum testatur probatio, & tempore necessitatis fidei constantia demonstrat;* quâ scilicet illata Orthodoxyis persecutionem ab Anastasi Præsidibus, nec non à Severo ceterisque Eutychianis, Deo favente, non tantum sustinuerant, verum etiam fortiter ac feliciter superaverant. Hæc rursus iidem profertur: *Hoc enim verè magnum pietatis mysterium, quia unus ex sanctâ unius essentiæ Trinitate incarnatus, & homo factus Deus Verbum in utraque naturâ Deitatis & humanitatis indivisi & inconfusè cognoscitur &c.* Legitur eâ fidei professio antè Epist. 75. Hormisdæ, & inferiùs alia occasione iterum memorabitur. Interim colligimus famosam S. Procli propositionem *De uno ex Trinitate incarnato à Catholicis in Oriente in professione fidei recitata* fuisse; quamvis ex eadem fraudulenter decurtata, Eutychiani suorum errorum portenta impiè deduxerint.

## CAPUT III.

*Justino ad imperium enecto: Hormisdas Pontifex per Legatos, Orientalem Ecclesiam cum Romana concordem facit.* Monachi Scythæ disputant de uno ex Trinitate coram Legatis, qui recusant novam illam loquendi formulam adprobare. Eorundem Monachorum professio fidei, *Apologia*, ac *capitula*. Professio Maxentii ex definitione Synodi Calchedonensis exscripta. Idem thesim de uno ex Trinitate Patrum testimoniis, ac validis rationibus confirmat. Acemetæ Monachi Maxentio ac collegis contradicunt. Variae eâ in controversia Magnatum sententia. Monachi Scythæ Romanam se conferunt.

**A**nastasius Imperator plenam sacrilegiis senectu-  
tem anno 518. improviso fulmine afflatus, absolvit, ac vacuam imperii sedem eâ ipsâ nocte antè diem decimum Julii, Justinus Procerum quorundam, sed Praetorianorum præcipue militum operâ indeptus est. Nulla illi cum extinto Principe affinitas erat, nulla majorum imagines, sed agresti genere ortus, ac dein castra securus, per omnes militiæ gradus ad insignes præfecturas evaserat. Orthodoxæ religioni addictus, eidem non tam reparandæ, quam ab hereticorum oppressionibus vindicandæ, primas

suscepti recens imperii curas impendit, ita ut ejusdem consilio, Joannes Patriarcha sexto statim novi principatus die, coram quibusdam Episcopis, universo Clero, ac maximâ populi frequentiâ publicè in Ecclesiâ sanctam Synodum Calchedonensem, ac S. Leonis Magni nomen in sacris diptychis recitaverit, acclamante populo: *Exhumentur ossa Nestorianorum; exhumentur ossa Eutychianistarum &c. Synodica Romana modò valeant. Digne Trinitate Justine Augusto; tu vincas &c.* A. & V. Synodi C-P. sub Mennâ. Hæc ubi celeri famâ per Romani imperii provincias vulgata sunt, Catholici in spem certam erexit, Deo vota solvere, optimo Augusto felicitatem compre- cari, ac totius Ecclesia concordiam augurari. Ceteros inter Episcopos initio imperii Iustinii in regiam urbem ad venerat Paternus Tomorum in provin- ciâ Scythia Metropolitanus, quem è vestigio quidam Monachi cum eodem dissidentes infecuti sunt, eo forsitan consilio, ut coram Joanne Patriarchâ causa disceptaretur. Justinus Acaciano schismati profligando intentus, literas ad Hormisdam Romanum Pontificem misit, significans sibi imperium delatum fuisse, simulque rogans, ut Legatos Constantinopolim destinaret, quorum opera abrupta dudum Orientalem inter ac Occidentalem Ecclesiam, concordia repararetur. Hormisdas nil cunctatus, quinque Legatos decrevit, quibus jussit, ut exscensione factâ in Epiro, eam Provinciam, aliasque proximas in ipso itinere cum Romana Ecclesiâ sociarent. Eâ legatione functi sunt Germanus Capuæ, ac Joannes Episcopi, nec non Blandus Presbyter, ac Felix Diaconus, quibus additus Dioscorus patriâ Alexandrinus, ac in eâ Ecclesiâ ordinatus, non tam ob agendarum rerum, quam ob Græcae lingue peritiam, ad id munera in Græciâ obeundi maximè idoneus.

Legati Pontificii anno 519. die 25. Martii, feria secundâ majoris hebdomadis, decimo ab urbe millario à Vitaliano Magistro militum, Justiniano nepote Imperatoris, multisque Senatoribus splendidâ pompa excepti, Constantinopolim pervenerunt. Joannes Patriarcha oblatam sibi à Legatis professionem fidei libello inserens, ac subscribens, ab iisdem in communionem cum Romana Ecclesiâ receptus est, eoque pa- sto diuturniori schismate sublato, summâ totius populi lætitia die 31. Martii festa Paschalia celebrarunt. Verum illatam Legatorum opera pacis serenitatem excitatæ à memoratis Scythia Monachis quæstionis nubilum obumbravit, quo etiam latius sepe brevi effundente, Occidentalis quoque Ecclesia turbata est. Victor quidam Diaconus antè Legatorum adventum controversiam habuerat cum memoratis Monachis de uno ex Trinitate crucifixo, et de Christo composito, & de aliis capitulis, ut ait Dioscorus in suggestione ad Hormisdam Tom. 4. Conc. pag. 1519. Et illi quidem accusationis libellum cont. Victorem Legatis, & Joanni Patriarchæ obtulerunt. Victor in judicium vocatus respondit recipere se Synodum Calchedonensem, ac Synodicas sanctorum Leonis Papæ, ac Cyrilli Alexandrini epistolæ: *Scythæ è contrâ inchoaverunt dicere: Addatur & unus de Trinitate.* Legati interlocuti reposuerunt: *Quod non est in quatuor Conciliis definitum, nec in Epistolis beati Papæ Leonis, nec nos dicere possumus, nec addere.* Scythæ enim contendebant effatum illud unus è Trinitate, tanquam fidei dogma ad evertendas Nestorianorum veritatis necessarium, à nemine posse sine piaculo denegari. Ex his patet, Monachos eâ in causâ actores fuisse, eorumque inflaniam Legatos nullatenus adprobare

# Historia Controversiæ

voluisse, quod ea loquendi formula in Synodo Calchedonensi non legebatur. Legati probam alijs propositionem, improbab tamen ab Eutychianis larvâ deturpatam, horrebant. Hærebat oculis pessima imago, quam olim Petrus Fullo, ac nuper Anastasius Imperator, ambo Eutychiani, eidem propositioni induxerant. Cùm Monachi inteligerent seipso in invidiā passim vocari, quod thesīs de uno ex Trinitate, uti necessarium supplementum Synodo Calchedonensi adiiciendam proponere dicerentur, eruditam sanè apoligiam Legatis obtulerunt, quā illatam sibi ab adverariis calumniam solidē confutarunt. Hæc legitur inserta Bibliothecæ Patrum tom. ix, ultima editionis pag. 534. Joanne Maxentio ac Scythis Monachis, ipsilmet quinque Legatis nominatum inscripta. Ejus scripti summa est: Nullum se augmentum magnæ Synodo adiicere, nullamve illius periodum retractare, sed asserta Synodi adversus Nestorianorum technas desumptis ex libris sanctorum Patrum testimoniosis, corroborare. Hæc inter erat thesis de uno ex Trinitate incarnato à S. Proclo in Epistola ad Armenios statuta. Superficiō sibi obiici: *Quod Synodus non dicit, nullatenus dici debet; quia multa in Synodis non leguntur, quæ tamen cùm ratio cogit, profere minime dubitamus.* Hæc ex uno Augustino lib. 5. de Trinitate cap. 7. scribente, confirmant: *Non est in rebus considerandum quid vel sinat, vel non sinat dici iusseris sermonis nostri, sed quis rerum ipsarum intellectus clueat.* Ipsa sanè Synodus Calchedonensis Monachorum diligentia faver: siquidem ubi in prosphonetico ad Marcianum Augustum notalet post novos quoque errores ab hæreticis inductos, Symbolo Niceno adjectio aliquas ab aliis postea Synodis factas, non tanquam novas fidei regulas, sed velut novas vetustæ fidei explanationes, ait: *Quia & nunc licet, ut ambiguitate questionis exortæ, Patrum interpretationibus nostram confessionem adiungere, ad docere, quod in nullo discordem intelligentia eorum detulerimus animum, sed his utamur testibus ad nostræ fidei firmatatem.* Ubi postea commendatur laudata Epist. Procli ad Armenios. Cùm vero circa suam libelli oblati Legatis, Monachi scribant: *Nunc jam qualiter de incarnatione tantum Dominum, sine quid de gratiâ Dei &c. sapiamus, neceßariò vobis credimus facere manifestum,* palam designant annexa capitula, quæ aut eadem, aut similia fuere iis, quæ eo tomo Bibl. PP. pag. 537. recitantur cum adjectis anathematismis. Illorum quinque quæ ad institutū maximè faciunt hic adpono.

I. Si quis non constitetur in Domino nostro Iesu Christo duas naturas unitas, hoc est d'initiatis & humanitatibus, ac sic unam naturam Dei Verbi incarnatam, sicut duas unitas in una subsistentia, atque personam, secundum quod nobis tradidit veneranda Synodus Calchedonensis, anathema sit.

II. Si quis non constitetur propriè & verè sanctam Mariam Dei genitricem, sed propter honorem tantum hoc ei nomen tribuit, quia peperit hominem, qui secundum gratiam dicitur Deus, non autem quia peperit Deum incarnatum, & hominem factum, anathema sit.

IV. Si quis non acquiescat confiteri Christum unum de Trinitate, etiam cum carne propriâ, qui pro nobis passus est in carne, quanvis secundum carnem non sit de substantia Trinitatis, sed sit idem ex nobis, anathema sit.

VI. Si quis dicit Christum pāsum carne, Deum vero pāsum carne, dicere non acquiescit, quod ipsum intelligitur, Christum pāsum carne, anathema sit.

IX. Si quis non constitetur compositum Christum post incarnationem, anathema sit.

In tribus insequentibus capitulis Pelagianorum erores condemnantur. Novem autem priora contrâ Nestorianos statuuntur, & in primo famosa S. Cyrilli propositio de unâ Verbi Dei naturâ incarnatâ adstruitur, in quâ sinistro sensu, & ab ipso Auëtore Cyrrillo disertè damnata, à Dioscoro Patriarchâ Alexandrino intellectâ, Eutychiani suam postea hæresim fundarunt. Extat etiam alia professio Maxentii, in quâ memorata capitula sanctorum Patrum testimoniis, & acutis etiam ratiociniis egregiè comprobantur. Illius initium est: *Igitur sequentes in omnibus fidem Sanctorum Patrum &c. & legitur à p. 534. tom. ix. laudate Bibliothecæ.* Ibi autem ait: *Unum eundemque Christum Filium Dei unigenitum, in duas naturas, inconfusè, incomunabiliter, indivisiè, inseparabiliter cognoscendum.* In nullo naturarum diversitatē propter unitatem perimendam, salvâ potius proprietate utriusque naturæ in una personâ unaque subsistentia concurrente. Concilium Calchedonense in fidei definitione hæc decernit: *Unum eundemque Christum, Filium, Dominum, unigenitum, in duas naturas, inconfusè, immutabiliter, indivisiè, inseparabiliter agnoscendum.* *Nusquam sublatâ differentiâ naturarum propter unitatem, magis que salvâ proprietate utriusque naturæ, & in unam personam, atque subsistentiam concurrente.* Quis autem non statim videat Maxentium ipsissimas magnæ Synodi sententias, iisdem omnino verbis, expressissime, & si quæ minima sit verbi alicuius diversitas, eandem diversæ interpretationi adscribendam, cùm ea definitio Græcè à Patribus prolatâ fuerit? Cùm vero ea apud Synodum sententia Eutychianam hæresim profliget, apud Maxentium similiter eadem hæresis damnata appareat. Præmixim in professione Maxentii Nestorii quoque error hisce prescribitur: *Non in duas personas pertinet, aut dividendum, sed unum eundemque Filium unigenitum, Deum verbum, Dominum Iesum, sicut ab initio nobis Propheta dixerunt de Deo, & ipse nos Christus eruditivit.* An non hæc quoque sunt sacra ibidem Synodi verba? Non in duas personas pertinet, aut dividendum, sed unum eundemque Filium, & unigenitum, Deum Verbum, Dominum Iesum Christum, sicut ante Propheta de eo, & ipse nos Iesus Christus eruditivit &c. Dein Maxentius tradit S. Flavianum Patriarcham C.-P. ac Martyrem, in libello de fide ad Theodosium Imperatorem, desumptam ex Cyrillo sententiam posuisse: *Unam naturam Dei Verbi incarnatam, de quâ alias sermo redibit.* His veluti proœmii loco præmissis, ad specialem thesīs id temporis acri, ac vehementi contentione disputatam, descendit, ac contrâ Theodorum Mopsuestensem, ejusque discipulum Nestorium, Christum quasi quid extrâ Trinitatem ponentes, ait: *Dominum nostrum Iesum Christum, qui pro nobis pāsus est carne, unum de tribus subsistentiis unus d'initiatis esse credimus.* Hanc loquendi formulam sanctorum Augustini ac Procli testimoniis confirmat. Nam Augustinus in Enchiridio cap. 38. ait: *An & quando unus trium in aliquo opere nominatur, universa operari Trinitas intelligitur?* Unus trium idem est, ac unus è Trinitate. Alterum testimonium appellat ex lib. 2. de Trinitate cap. 10. ubi ait: *Neque hic ergo evidenter appetit, utrum aliqua ex Trinitate persona, an Deus ipsa Trinitas &c. Iesus sit Abrahæ.* Porro aliqua persona ex Trinitate idem est ac unus ex Trinitate indiscretè nominatus. Dein addensat locupletissima S. Procli testimonia in confutatione capitulorum Theodori annexa Epistolæ ad Armenios, quæ tamen capitula intercederunt. Quædam testimonia ejusdem superiùs cap. 1. recitavi.

Unum

Unum & alterum adiiciam, quod ipsammet propositionem non contineant tantum, sed dupli etiam argumento demonstrent. Ego autem, inquit, è contrario obiicio tibi, & quero: Vnus è Trinitate est, qui crucifixus est, an alias aliquis extrà Trinitatem? Et si quidem unus, solutum est iurgium. Si autem alias aliquis propter Trinitatem, quartus est sine dubio gloriae Dominus, & ab illâ glorificatione, quâ Seraphim glorificant, existit extraneus &c. Hinc Augustinus tract. 78. in Joannem ait: Agnoscamus geminam substantiam Christi, divinam scilicet, quâ aequalis est Patri: humanam, quâ major est Pater. Uerunque autem simul, non duo, sed unus est Christus, ne sit quaternitas, non Trinitas Deus. Egregiè hoc ipsum argumentum transmisit Ferrandus Diaconus in Epistola ad Anatolium cap. 10. ait: Hoc ergo dicit, qui unum de Trinitate passum dicit: Non est quarta persona qui passus est, sed ad numerum pertinet Trinitatis. Manens enim Dei Filius impassibilis secundum divinitatem, per susceptionem naturae passibilis passionis subiacebat &c. non aliis est impassibilis, & alius passus est. Alterum Procli argumentum ex ipso symbolo deducitur, in quo Filius Dei dicitur incarnatus, & crucifixus, & passus. Ex his firmat Proclus intentum: Si autem quod incarnatum est, crucifixum est, Pater autem & Spiritus non est crucifixus, unus ergo de Trinitate est crucifixus. Divinitatem p̄ò quâ communicat Patri & Spiritui, servavit impassibilem. Carne autem, qua ipse sotus est factus, ipsa & solus est passus. Hec Proclus apud Maxentium.

Aliud argumentum urget ibidem Maxentius: Quia, inquit, si non Trinitatem, quem unus est Deus, sed Deum, quis filii dicit ex Deo est, genuit secundum carnem virgo Maria, sine dubio unus ex Trinitate est, qui secundum carnem ex ipsis natu est. Et inculcans non totam Trinitatem natam fuisse ex B. Virginie, sed unum ex Trinitate Verbum Deum, ait: Sed si eam verè & propriè Dei crederent genitricem, utique Deum Verbum unum esse crederent de Trinitate. Ex hac postremâ sententiâ id, quod fuissem postea prosequor, colligimus, nempè adversarios Monachorum Scytharum negasse Deum Verbum dici posse unum ex Trinitate, ac questionem agitatum fuisse independenter etiam à mysterio Incarnationis; ita ut in hac propositione: Unus è Trinitate crucifixus est carne, præcipua difficultas in ipso subiecto propositionis versaretur; cum plerique contendenter, Deum Verbum neutiquam dici posse unum ex Trinitate, quin ipsa individua omnino Deitas divideretur, quam objectionem Maxentius ibidem refellit. Et illi quidem quamvis falso, congruenter induxit semel abs se opinioni sentiebant, cum negarent Christum unum esse ex Trinitate, quod planè affirmandum illic fuisse, si eam de Deo Verbo propositionem admississent, quod hoc syllogismo conficitur: Deus Verbum Filius Dei, est unus è Trinitate; sed Christus est Deus Verbum Filius Dei; ergo Christus est unus è Trinitate. Minor est dogma fidei, nec à Catholicis cum Monachis Scythis disputantibus, negari poterat; undè ne iisdem manus darent, priorem, sive uti vocant, majorem propositionem inficiari cogebantur.

Denique Maxentius, ut invidiam, quâ veluti illâ thes, de uno ex Trinitate, supplens Synodus Calchedonensem, onerabatur, ab se removeret, in eodem libello contestatur se quatuor Oecumenicas Synodos recipere, ac venerari, de quartâ hæc scribens: Nec non etiam, quam sequimus & amplectimur

venerandam Synodum Calchedonensem &c. Anathematizamus autem omnes, si quis dubitat, aut retrahat, aut imperfecta judicat &c. Damnata declarat Theodori scripta, ac Nestorii; his adiicit Eutychem, Dioscorum, Timotheum Aelurum, Petrum Mognum, Petrum Fullonem, & Acacium, cum omnibus eorundem sectatoribus, nec non communicatores, & complices, ac illorum memorias in sacris Ecclesiæ tabulis celebrantes. Quâ quidem Eutychianorum detestatione tam manifestâ, ac expressâ omnem abs se ejus heresim suspicionem excusit. Hinc factum est, ut Viri eruditissimi ac doctissimi ex memoratis libellis, Monachos Scythas ab illatâ ipsiis Eutychianæ heresios notâ plenis suffragiis absolverint. Hæc scribit Dionysius Petavius tom. 4. Dogm. Theol. lib. 5. de Incarnatione cap. 2. num. 2. Sed qui professiones fidei ab illis editas, ac cetera eorundem scripta, quæ extant, diligenter expenderit, nullum ibi vestigium deprehenderet heresis illius. Gabriel Vasquez tom. 1. in 3. par. disp. 15. de Incarnatione cap. 3. iustam pro Monachis Scythis apologiam procudens, cùm ex laudatis eorundem libellis sententias recitasset, numer. 44. exclamat: Quâ igitur ratione dicemus eos Eutychianos fuisse? Haec tenus de libellis fidei à Monachis Scythis conscripsit.

Interea litigia latius Constantinopoli disseminata, non modò regiæ urbis monasteria, sed ipsos etiam imperii atque aulae Proceres in partes traxerant. Monachi Accemetæ religiose discipline famâ præ ceteris in regiâ urbe eminebant. Degebant in monasterio Dii, de conditoris S. Dii Abbatis nomine nuncupato. Flavius Studius, qui anno 454. consulatum gererat, insigne templum sub titulo Sancti Joannis Baptiste cum monasterio extruens, Monachos Accemetarum instituti illuc induxerat; undè iisdem vulgo Studiti dicebantur. In Synodo C.P. sub Menâ anno 536. inter Archimandritas nominantur Agapetus Dii, & Cosmas Sancti Joannis ad Studium. Monachi Accemetæ adversus Anastasium Imperatorem, ac Patriarchas Synodum Calchedonensem reiuentes, impavidè steterunt. Haud sibi Abbatem passi sunt ordinari à Timotheo Antistite C.P. nisi is prius Synodum Calchedonensem reciperet. Unus Accemeta scriptum anathema contrâ Acacium, ejusdem pallio intrepide affixit, cum ille ad sacrâ obvunda procederet. Hinc eorundem monasteria erant in regiâ urbe tutissima contrâ Eutychianos castra, ac Romanæ Sedi præsidia, ita ut Legati à Romanis Pontificibus illuc destinati, in mandatis haberent, nihil inconsultis Accemetis peragere. Horum testes veniunt Evagrius lib. 3. ac Theophanes in Chro-nico. Enimvero Accemetæ Monachi sententiam Monachorum Scytharum acriter oppugnabant, quos etiam Eutychianæ heresios incusabant. Hinc Accemeta negabant Christum dici posse unum de Trinitate, ac Beatam Virginem verè & propriè appellari Dei genitricem, uti tradunt Justinianus in Epistolâ ad Joannem II. Papam, & Liberatus Diaconus cap. 20. sui Breviarii. Justinianus Imperatoris Justini nepos, ac postea successor, Monachis Scythis initio cœperat contradicere. At Vitalianus Magister militum, ac ob res pro Orthodoxâ fide contra Anastasium fortiter, & feliciter gestas, ubique gentium celebratus, ac de Sede Apostolicâ Romanâ bene meritus, conterraneis suis Scythis summo studio patrocinabatur, torusque ad eorum partes transgressus, paulò post in eandem secum sententiam Justinianum traxit. Imò Leontius vatus Monacho-

nachorum Vitaliano assinitate junctus erat; ceteri etiam à Diocesano Legato dicuntur *de domo Vitaliani magistri militum*, in suggestione post Epist. 65. Hormisdæ pag. 1513. quod advenit, à Vitaliano fortassis liberali hospitio recepti fuerant. Cum verò Scythæ hanc propositionem: *Christus qui pro nobis passus est carne, est unus de Trinitate*, tanquam Catholicam, ac ad convincendum Nestorianos necessariò adstruendam, inculcarent, legati Apostolici eandem approbare recusantes, hæc constanter reponebant; *Extri Synodos quatuor, extri epistolæ Papæ Leonis, nec dicimus, nec admittimus. Quidquid non continetur in predictis Synodis, aut quod non est scriptum à Papa Leone, non suscipimus.* Ex quibus iterum apparebat Monachos Scythæ eā in causā non uti cuiuspiam hæresis assertores à Legatis rejectos fuisse; sed eorum tantum instantiam repulsa, quā omni arte ac conatu curabant, memoratam thesim tanquam Orthodoxæ fidei canonem à Legatis ceterisque comprobari. Et sanci Monachi Scythæ, ubi semel ea loquendi formula à Legatis tanquam Catholicæ fidei congrua, declarata fuisset, id unum ad victoriam eā in causā conclamandam satis fibi esse existimabant. Hinc ipsiusmet Legatis enixiū insisterebant, ut eā propositione ad probatā, controversiæ finem imponerent. Hæc Legati in proximè laudatā ad Hormisdam epistolā scribunt: *Quoniam hæc illi nituntur afferere, eo modo sibi satisfacere cupientes, ita ut PROFITEAMUR & DICAMUS unum de Trinitate passum esse, quod nec Patres, nec Synodi dixerunt.* Ita legati illam thesim non uti hereticam, & à Patribus aut Synodis damnatam, rejicabant, sed uti novam, nec à Synodis usurpam assertam admittere recusabant. Monachi cum animadverterent, nullam sibi propositionis Legatorum sententiā confirmandæ spem esse reliquam, initio consilio, decreverunt, integrum causam ad Hormisdam Pontificem deferre. Itaque ex regiā urbe clanculum discedentes, Romanam iter intenderunt.

## CAPUT IV.

*Status controversiae. Num Christus posset dici unus de Trinitate. Hoc locupletissimis testimoniosis Monachorum Scytharum, Maxentii, Severi Scholastici, Fernandi Diaconi, Dionysii Exiguī, Justiniani Imperatoris, Joannis II. Papæ, ac Synodi V. demonstratur. Ab illâ thesi principali, hæc alia à Monachis illustrata: Unus è Trinitate carne passus est. Rursus: Beata Virgo est verè & propriè Dei genitrix. Denique: Christus est compositus. Quædam de hac ultimâ propositione subnotantur. Cur una illa thesis de uno Trinitatis passo Monachis objecta?*

**N**onnulli illotis, ut ajunt, manibus hanc controversiam describere aggressi, tam procul à veritate abjere, ut ne quidem ipsiusmet causæ statum intellexerint, id inter litigantes certum ac compertum adstruentes, in quo tamen totius contentionsis cardo versabatur. Horum unum appellabo Brunonem Neuffer, qui in Prodromo Velitari, parte primâ cap. 3. & 4. & iterum par. 2. cap. 8. hanc ipsam controversiam ingenti verborum strepitu retrahens, cetera inter pag. 134 col. 1. scribit: *Nunquam negavit Hormisdas, nunquam Dioscorus, nunquam ullus Catholicus, Dominum nostrum Jesum Christum esse unum de Trinitate. Imò, ò bone, hic placet fuit celeberrima questionis status. Hoc ipsiusmet*

litigantes asserunt: hoc ipsorum advocati ac patroni contestantur: hoc denique ipsi, qui eā de re decreto tandem sententiam tulerunt, Romani Pontices ac Oecumenicae Synodi Patres pronuntiarunt. Hæc propositio: *Christus est unus de Trinitate*, erat totius causa questionis, hec reliquarum dissensuum fons & origo. Nam Monachi cum Sancto Proculo eā loquendi formulâ Nestorianam hæresim reflebant. Cum enim Nestorius Christum purum hominem obtruderet, Deo Verbo eidem per affectum solummodo unito, Proclus ad hunc errorem profundandum, hanc thesim posuit: *Christus est unus è Trinitate, uti cap. 1. ostensus est.* Ea verò propositiō non potest, ut Logici loquuntur, verificari in primo modo dicendi per se; nisi Christus sit physicè ac realiter unus de Trinitate, secūs ac Nestorius commentabatur, qui personam Christi cum personâ Verbi copulatam autembat unione tantum morali, & ejusdem omnino speciei quāvis excellentiori gradu, cum illâ, quā Deus mediante gratiâ, cum ceteris hominibus justis conjungitur, iisque filii Dei adoptivi nuncupantur. Jam verò natura humana assumpta à Deo Verbo in unitatem suppositi, sive uti, Cyriolo voces præformante, ceteri postea dixerit, unionē secundum hypostasim, facit, ut realiter ac physicè vera sit propositiō: *Christus est unus è Trinitate.* Unio affectiva hoc præstare nequit; siquidem quamvis Petrus & Paulus summo secum invicem amore juncti sunt, falsò tamen dicetur: *Petrus est Paulus;* cùm realiter ac physicè abs se distinguantur. Itaque jure optimo Monachi, ut inquit Liberatus Diaconus, Proclum Patriarcham secuti, ad interimendas Nestorianorum versutias, dixerunt, Christum esse unum de Trinitate. Sanctus Sabas duos Monachos Nestorianos ex eo statim agnovit, quod negabant, *Christum unum esse sanctæ Trinitatis*, uti cap. 2. prænotabam. Itaque Monachi Scythæ hanc præcipuam cum Nestorianis questionem habebant: *Utrum Christus est unus de Trinitate.* Hinc cùm apud Legatos Pontificios cum Victore Diacono disputarent; & is testaretur Calchedonensem Synodum se recipere, Monachi reposuerunt: *Addatur & unus de Trinitate;* quod horum trium tantum verborum expressione Catholicæ fides contrâ Nestorianam hæresim asserbatur. Joannes Maxentius in Monachorum Scytharum partes transgresus, in responsione ad Epistolam Hormisdæ scribit Possessorem Episcopum Africatum tum Constantinopoli degentem, non solum non confiteri Christum Filium Dei vivi unum ex individuâ Trinitate, sed adversari eis, qui hoc fiducialiter confitentur. Et longè inferiū addit velle se demonstrare, qualiter & cur heretici, ex quibus unus Dioscorus, unam personam Christum prædicanter ex Trinitate, unum ex Trinitate Christum confiteri nullatenus acquiescant. Et tamen Bruno Neuffer firmissimè asseverat numquam Dioscorum, nunquam Possessorem negasse Christum esse unum de Trinitate. Præterea hæc ibidem Maxentius scribit: *An forte non est Catholicum, Christum Filium Dei vivi unum confiteri ex sanctâ & individuâ Trinitate? Pro hac etenim SOLA sententia Scytharum Monachos constat ad Romanum fuisse perfectos Episcopum, sicut omnibus penè non solum in hac Regiâ Urbe, verum etiam in universâ Italâ Catholicis notum est.* Num repones Maxentio, qui palam Monachorum partis erat, & publicus adverstantium accusator, nullam fidem adhibendam? At ibidem eam in rem non unum aut alterum testem citat, sed omnes Regiæ Urbis cives, atque universam etiam Italiam appell-

appellat, adeò res illa erat omnibus & singulis manifesta, ac per vulgata.

Justinianus, qui illis se totum litigis immiscuit, in epistolâ ad Hormisdam Pontificem scribit: *Quidam afferunt, Christum Filium Dei Dominum nostrum pro nostra salute carne crucifixum, unum de Trinitate debere prædicari: quod si suscipiendum sit, paternâ provisione reverentia vestra cautissimo suo rescripto, quid sequi, quidre super hoc evitare debeamus, nos crieriorare dignetur.* Et pauld inferius: *Quia verò dictum est Scythicos Monachos hac ratione ad seum restrain acceſſe pro traditione Patrum &c.* Itaque summa ac caput totius controversie id temporis tantâ animorum contentione agitatæ, in eo erat: *Urum Christus qui passus est carne, dici posset unus de Trinitate.* Hanc ille unicam quæſtionem Hormisdæ decretorij sententiâ solvendam proponit. Eadem in aliis quoque epistolis ad eundem Pontificem datis prescribit. Num Justiniani etiam fides indubium vocabitur, quod Monachorum partes impensiū fovebat? At adeò eā in causâ idem prævaricatus dicetur, ut non ipſissimum quæſtionis statum Hormisdæ propoſuerit, sed illud potius quod eſſet extrâ quæſtionem?

Cum ea diſſenſio Constantinopoli in longum traheretur, Severus Scholasticus, ita advocatos nuncupabant, Ferrandum Diaconum Carthaginem per literas eā in quæſtione ſententiam rogavit, qui eidem respondens, Epistolam hinc exorditur: *Magnorum virorum mihi negotium conari adjungere, propter eos, qui Dominum nostrum Iesum Christum negant unum eſſe de sanctâ & individuâ Trinitate: quid ſentiam delectatus audire.* Et cum eruditè demontrasset rectè aſſeri Christum unum de Trinitate, cap. 9. ait: *Proinde illi quos negare adferis Dominum nostrum Iesum Christum unum eſſe de sanctâ & individuâ Trinitate, &c.* Et statim: *Videndum potius reor, & considerandum diligenter, cur Dominus Iesu Christus unus eſſe de sanctâ & individuâ Trinitate nimis cautè à quibusdam negetur.* Severus in neutrā litigantium partem transferat. Hærebant animi dubius, utrī ſententia accederet. Et quamvis advocatus alii consilia clientibus vendere fuerit, in hac Theologicâ controverſia ſui inops consili, in aliâ Orbis parte degentem doctissimum Diaconum consultabat. Et ille quidem professione advocatus, optimè norat, iſum quæſtionis statum exponendum eſſe illi, à quo consilium ac ſententiam exquireret. Huic ſupparem teſtem dabo, qui tum Romæ florebant Dionyſius Exiguus, qui in præfatione ad Epistolam sancti Procli ad Armenios, ſcribit ſe eas literas Latio donare: *Non parum, inquiens, praesentibus estimans profuturas: quando eam nunc Ecclesiis moreat quæſtione tunc repulsa temeritas, quæ sub colore religionem molitur exercere.* Addit temeritatem fuſſe Theodori Mopsuesteni, ſejusque lectorum, qui Beatam Trinitatem ſic unius eſſentia predicatorum, ut Christum Dominum nostrum conditorem universitatis unum ex Trinitate nullatenus faterentur. Et poſted: *Et quia nunc ab aliquibus injectum ſcrupulum, de verâ ſide trepidatur: unum quemlibet ex beatâ Trinitate pronuntiare diffugunt.* Cum famosa illa controverſia Constantinopoli, ac Romæ præſertim agitata fuerit, in quo eadem præcipue versaretur, duo id temporis in laudatis Urbibus degentes, quive eā de re non tantum diſputationes, ſed rumores etiam ſuſſerunt auribus excepérunt, locupletissimè ac loculentissimè conteinantur. Tertiū quoque teſtis accedit Trifolius Presbyter, Monachorum ſententiae adverſarius, qui in literis ad Faustum Senatorē pluribus

eandem argumentis impietū, quæ eō collimant, ut evincant Christum nullâ ratione dici poſſe unum de Trinitate. Eadem inferius propono, ac confuto, ſivè verius à doctissimis iisque ſynchronis Scriptoribus validè refutata demonſtro. Unum hīc in antecellum referam. *Qui unum, inquit, de Trinitate dicunt paſſum, si Ariani non ſunt, dicant de quibus tribus unus paſſus eſt.* De tribus Patribus, aut de tribus Filiis, aut de tribus Spiritibus Sanctis, aut certè de tribus Diis, ſicut dicit Arius. Quo paralogismo contendit Christum carne paſſum, non poſſe adſtruī unum de Trinitate. Facile tamen respondemus unum de tribus ſubſtantib⁹, qui ſunt beata Trinitas, paſſum eſc⁹. Vel quod idem eſt, paſſum unum de tribus, qui ſunt tres individua Trinitatis persone.

Sed omittamus quid utraque litigantium pars protrulit, quidve etiam teſtes dixere, audiantur ſuprema judicum decreta, qui auditis partibus, earunque rationibus accuratè ac diligenter expensis, decretoriam tandem ſententiam proferentes, diuturniori contentione finem impoſuerunt. Imperator Justinianus aegrè ac moleſtè ferens tot jam annos uni illi controverſie absolvenda nequicquam impensos, Legatos ad Joannem II. Pontificem misit, regans, ut Apoſtolica Sedes ſpeciali decreto, tot tandem lites abſolvet. Evidem laudatus Pontifex in Epistolâ ad Senatores ſcribit: *Justinianus ſiquidem Imperator filius noster, ut eis Epifola tenore cognovit, de his tribus quæſtionibus orta certamina fuſſe significavit: Urum unus ex Trinitate Christus & Deus noster dici poſſit.* Dein: *An Deus Christus carne pertulerit, impaffibile Deitate.* Denique: *An propriè & veraciter mater Domini Dei noſtri Christi Maria ſemper Virgo, debeat appellari.* En principalis quæſtio, ac proinde primo ſtatim loco proposita, erat de Christo uno ex Trinitate. Ibi verò Pontifex definit: *Unum ex sanctâ Trinitate Christum eſſe, quâ de re iterum ſermo erit.* Denique Synodus V. canone X. hec definit: *Si qui non conſtitutus Dominum nostrum Iesum Christum, qui crucifixus eſſe carne, Deum eſſe verum, & Dominum gloria, & unum de sanctâ Trinitate, talis anathema ſit.* In quo canone tanquam dogma Catholicum ſtatuitur haec propositio: *Christus eſt unus de sanctâ Trinitate, de quâ juxta variis ſenſus expoſita, Catholici per quinque lustra acerrimas ſecum invicem contentiones exercuerunt.* Porrò ea controverſia agitabatur de Deo Verbo, num eſſet unus de Trinitate, etiam ſi nè conſideratione Incarnationis aut passionis; & ſi quæ ab ipsa paſſione arguments illuc trahebantur, eō collimabant, ne Christus paſſibilis unus de impaffibili Trinitate crederetur. Hinc Dionyſius Petavius insignis Theologus ac doctrinæ Patrum peritissimus, lib. 5. de Incarnat. cap. 2. eruditè obſervat, binas propositioſes in quæſtione vocari potuſſe. Harum una eſt: *Urum qui incarnatus eſt, unus fit ē Trinitate.* Altera verò: *Urum unus ē Trinitate mortem ſubierit.* In priori propositione Christus eſt ſubiectum; ipſa autem unitas personalis Dei Verbi eſt prædicatum. In posteriori ſit ſubiectum, quod erat prædicatum in priori theſi, ac de illo paſſio prædicatur.

Et quidem optimâ ratione Maxentius ac collegæ Monachi Scythæ omnes conatus ad priorem illam propositioſem ſtabiliandam intendebant, ſicut ex adverſo Accometæ Monachi eandem præcipue oppugnabant, quod cetera controverſa capitula inde pendebant. Hoc unum erat capitulum: *Unus ē Trinitate paſſus eſt.* At haec propositio per ſyllogiſmuſum expoſitorum ex illâ priori deducitur, videlicet: *Christus*

cit

*est unus ē Trinitate, sed Christus carne passus est, ergo unus ē Trinitate carne passus est.* Minor propositio est dogma fidei, scribente Petro Apostolo in priori epistola, initio cap. 4. *Christo igitur passo in carne.* Hinc adversarii Monachorum Scytharum, quō vim illata ultimae propositionis declinarent, cogebantur primam inficiari. Hunc syllogismum in favorem sententiae Scytharum jure laudat Gabriel Vasquez in 3. par. disp. 15. cap. 3. num. 59.

Tertium Monachorum capitulum erat: *Beatam Virginem verē & propriē esse Dei genitricem.* Auctor est Facundus in lib. 1. de tribus capitulis ad Imperatorem Justinianum cap. 4. quosdam Catholicos eandem propositionem negasse. Verba ejus sunt: *Insimilatum verō est, quid hanc quoque confessionem, quā beatam Mariam verē & propriē dicimus matrem Dei, quidam etiam communicantes Ecclesiae, putent non debere suscipi, cū Nestorium fateantur, propter quod eam matrem Dei negabat, debuisse damnari.* Sed hi vellent, nollent in damnatam Nestorii heresim delabebantur. Liberatus Diaconus cap. 20. Breviarii narrat se tum Romæ præsente à Joanne II. Papā damnatum fuisse Cyrum & Eulogium Legatos Menachorum Accēmetarum, negantes esse confitendum beatam Mariam verē & propriē Dei genitricem; & unum de Trinitate incarnatum & carne passum. Cū Accēmetæ unius propositionis cum alterā connexionem necessariam inteligerent, utramque ex aequo coacti sunt inficiari. Verū ex illā principali thesi horum error pari syllogismo refellitur: *Christus est unus ē Trinitate, sed beata Virgo est verē & propriē mater Christi, ergo est verē & propriē mater unius ē Trinitate;* ac proinde est verē ac propriē Deipara. Hinc Maxentius in libello professionis fidei, ait: *Quia si non Trinitatem, quae unus est Deus, sed Deum, qui substantialiter ex Deo est, genuit secundum carnem virgo Maria; sine dubio unus ex Trinitate est, qui secundum carnem ex ipsa natus est.* Quamvis enim in Christo Domino duæ sint naturæ; divina, quam accepit à Patre; & humana, quam accepit à matre; cū una tamen sit hypostasis Verbi, quae in unitatem personæ humanam naturam assumpsit, non est unus Filius Patris, & alter Filius Matris, sed ut cum ceteris Patribus loquitur Augustinus in Enchiridio cap. 35. *Unus Dei Filius, idemque hominis Filius. Vetus hominis Filius, idemque unus Dei Filius; non duo filii Dei, Deus & homo, sed unus Dei Filius, Deus sine initio: homo à certo initio, D. N. Iesu Christus.* Eadem in aliis etiam libris inculcat.

Quartum capitulum assertum à Monachis Scythis erat de Christo composito, quod in libello fidei ipsorum in nono anathematismo hisce verbis expressum legitur: *Si quis non confitetur compositum Christum post incarnationem, anathema sit.* Dioscorus Legatus ad Hormisdam Pontificem scribit, Monachos cum Vito Diacono habuisse contentionem de uno de Trinitate crucifixo, & de Christo composito. Unum illud verbum de uno ex Trinitate incarnato affirmantes, uno veluti istu secum invicem pugnantes Nestorii atque Eutychetis heresies conficiebant. Ludovicus Thomassinus in doctrinā Patrum versatissimus, lib. 3. de Incarnatione cap. 6. num. 4. scribit: *Etcum compositio visa est sanctis Patribus maxime per opportunam iugulandis Nestorii aquē, ac Eutychetis erroribus, & vindicanda in Christo tūm naturarum distinctioni, tūm personæ unitati.* Hic aliquanti per heretico; siquidē ex hac thesi a Monachis asserta, omnis Eutychianæ heresios suspicio, quā quibusdam laborasse dicuntur, ab eisdem longe amovetur. Nestorius duas

in Christo personas adstruebat, nullam divinæ personæ cum humanâ naturâ unionem physicam ac realē admittens, sed moralem solūmodo ac per affectum. Ex adverso Eutyches putavit tantam inter utramque naturam unionem extitisse, ut una in Incarnatione natura ex duabus effecta fuerit. Hæc erat tota blasphemia Eutychetis: *Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunctionem; post adunctionem perdūnam naturam confiteor.* Act. 1. Synodi Calchedonensis pag. 226. E. Cui consentiens Dioscorus Alexandrinus dicebat: *Ex duabus suscipio; duas non suscipio.* Ibidem pag. 186. D. quod ipsum alii Eutychiani exprimebant, dicentes Christum esse ex duabus, non autem in duabus naturis. Itaque concedebant Christo, ut dicunt Scholastici, duas naturas in fieri; unam in facto esse; ea ratione quā plerique philosophi de mixto loquuntur. Etenim concedunt in ejusdem compositionem sive generationem reapse elementa venire, ipsumque fieri ex substantiis elementorum; at ipsa postea secundum propriam substantiam & naturam non inesse reapse eidem mixto, quod est tertia quædam natura à naturā elementorum specie diversa. At sancti Patres præente Leone Magno in sacrâ Epistolâ ad Flavianum, validè Eutychianos confutabant, quod unatūm in Christo natura adstrui nequiret, nisi divina in humanam, vel hæc in illam versa fingeretur: vel ex utraque corruptâ, tertiam quandam naturam conflatam obtruderent, cuiusmodi est natura mixta; quæ quidem omnia impia portenta erant, & execrabilis blasphemia.

Monachi Scythæ contrâ Nestorium & Eutychem thesim hanc statuerunt. *Christus est quid compositum post Incarnationem.* Hanc verō deducebant ex alterā jam ab ipsis stabilitate propositione: *Unus ē Trinitate carne passus est.* Nam cū prædicatum passus dicitur de uno ex Trinitate, non alius est qui de Trinitate, & alius qui passus est, sed una & eadem persona unigeniti filii Dei & ex Trinitate, & passa affirmatur, ac dualitas personarum à Nestorio ficta refellitur. Atqui unus ē Trinitate quatenus habens naturam divinam, non est passus; quoniam quā talis, est omnino immutabilis & impassibilis; est ergo passus carne animata, seu quatenus habens secum unitam naturam humanam secundum hypostasin. Omnis autem unio compositum conflat, ac compositum à modo ac qualitate unionis denominatur. Si enim sit unio accidentis cum subiecto, resultat compositum accidentale, album, nigrum &c. Si sit unio artificio, compositum itidem artificiosum conflatur, domus, navis &c. Sin verō fiat unio partium substantialium, compositum evadit pariter substancialis, ac resultat tercia natura, ut in omnibus compositis substantiis appareat. At in mysterio Incarnationis uero unio est superioris ordinis, ita sublimiori pariter gradu compositum exsurgit. Cū enim unio divinam inter & humanam naturam sit secundum hypostasin, sit Christus compositus secundum hypostasin. Hinc patet ratio, quā ex illa thesi Monachorum Eutychianorum error confutatur, ac à Fernando Diacono hisce proponitur cap. 12. Epistolæ ad Anatolium: *Expugnari magis Eutychianos, quam foreri, quando unus de Trinitate passus adseritur, velis, nolis, adverte.* Sinē dubio enim sub his verbis etiam predicator unius in Christo substancialis confutatur. Ut sit enim Christus unus de Trinitate, ad divinitatem pertinet; ut credatur passus, ad humanitatem. Non est qui passus est unus de Trinitate, nisi unam haberet cum

Tatre & Spiritu sancto diuinitatem. Non eset passus, qui unus est de Trinitate, nisi consubstantialem mati haberet humanitatem. Sileat ergo unius naturae in Christo predicator. Enim verò natura, quā Christus est unus de Trinitate, est unita physice ac realiter mediante subsistentia Verbi cum natura humana, quā passus est; ergo ex illâ unione hypostaticâ Christus est quid compositum; cùm non sit simplex una tantum natura, sed naturam humanam & subsistentiam verbi Dei essentialiter includat, ex quibus componitur. Maxentius egregiè hæc prosequitur lib. 2. contrà Nestorianos, scribens: Quapropter dum non vis post Incarnationem Christum facerit compositum, aut de divinitatis ejus naturam compositam, & passibilem convinceris credere, aut certe Christum, quem etiam post Incarnationem simplicem & incompositum, ut erat antea, asseris, nullatenus passum pro humanâ salute testaris. Ibidem recitat adversarii objectionem, cuius vis in eo est, quod si dicamus Christum esse compositum, partes ejusdem erunt Verbum & humanitas, & cùm partes sint imperfectiores toto, Verbum erit imperfectius Christo, cuius est pars. Respondet, Verbum unitum naturae humanae, non ut aliquam indè perfectionem reciperet, sed ut eandem perficeret. Nihil enim, inquit, illi contulit, aut detraxit a sumpta pro nostra salute humana natura, quam unitio suâ ipse potius infabiliter glorificavit &c. Alioquin si & post incarnationem negatur Christus esse compositus, manst ergo quod antea erat, simplex & incompositus. Et quia res summe simplex & incomposita nullam omnino in se recipit passionem, sicut superius etiam ipse professus es, non est ergo iuxta nos Christus pro humana salute perplexus. Scholasticorum magna pars affirmit Christum dici debere compositum cum S. Thoma 3. par. quæst. 2. art. 4. ita tamen, ut unio hypostatica ipsam tantum humanam naturam perficiat, ac proinde illam immutet, & illa uniatur passivè ut pure recipiens, & nullam conferens Verbo perfectionem, quod non exercet rationem actus informantis, sed solummodo terminant per suammet subsistentiam eandem humanam naturam. Justinianus in Edicto contrà tria Capitula, ait: Quoniam Dei Filius, cum eset secundum subsistentiam alter præter Patrem, eandem autem naturam habens Patrem, in sua subsistentia plasmat sibi carnem animatum animâ rationali & intellectuali, quod significat, humana natura unitum esse Deum Verbum &c. Et idem reuelat aliquis unam subsistentiam Dei Verbi compositam. Quæ omnia Synodus V. Collat. VIII. canone VI. approbans, condemnat eos qui non confitentur unionem (ἕνστον) Dei Verbi ad carnem animatum animâ rationali & intellectuali, secundum compositionem, sive secundum subsistentiam factam esse, sicut sancti Patres docuerunt, & idem unam ejus subsistentiam compositam, qui est Dominus noster Jesus Christus, unus de sanctâ Trinitate. Et notans Eutychem pone re unionem secundum confusionem: Theodorum verò ac Nestorium unionem tantum affectualem affirmare, addit: Sancta Dei Ecclesia utriusque perfidiæ impietatem reuiciens, unionem Dei Verbi ad carnem secundum compositionem confitetur, quod est secundum subsistentiam. Hac præclarissimâ fidei definitione à Synodo publicata, disertâ duo Monachorum Capitula approbantur, nempe quod Christus sit unus de sanctâ Trinitate; ac quod idem sit compositus. Rursus quod Ecclesia tradens Christum esse compositum, unde simul reiicit Nestorianos afferentes unionem tantum affectualem: ac Eutychianos duas natureas in unam stolidè confundentes, quemadmo-

dum superius argumentabat.

Ex hac tenus demonstratis præcipua à Monachis agitatae quæstionis status innoteſcit, quæ in eo versabatur, num Christus eset unus de Trinitate. Indè alias eorundem propositiones exposui, quæ ex illâ priori iisdem Monachis colligebantur. Antequâm tamen ad intermissam historicam narrationem regrediar, inquirendum est, cur Legati Pontificii de controversiâ Monachorum ad Hormisdam scribentes, unius tantum quæstionis de uno de Trinitate crucifixu mentionem fecerint, thesim de Christo uno de Trinitate omittentes, quæ erat præcipue controversa, & de quâ solâ Maxentius disputat in prolixâ responsione ad Epistolam Hormisdæ. Conjecturam adhibeo, quam quilibet, per me licet, aut probet, aut improbat. Sæpè solent disputantes, quod validius adversariorum dicta refellant, eadem ab absurdo indè consertario oppugnare. Jam verò absurdum videbatur passionem affirmare de uno ex Trinitate, qui quatenus è Trinitate, est omnino impassibilis. Præterea Imperator Anastasius Eutychianam heresim promoturus, jussit Episcopos sibi addictos Synodali sententiâ eos damnare, qui non confitebantur, unum de Trinitate crucifixum, ut ex Victore Tunnonensi in cap. 2. præarrabam. Quarè ea propositio heretico sensu incruxata, Eutychianismum apud Catholicos olebat. Denique principalis controversia in subjecto ejusdem propositionis plenè atque integrè exprimitur, cùm dicitur unus de Trinitate crucifixus; quia idem est in hac positione subjectum, quod est in hac alterâ prædicatum: Christus est unus de Trinitate. Hinc Trifolius in Epistolâ ad Faustum Senatorum ait: Quid est dicere: unum de Trinitate passum, nisi ostendere & alterum de Trinitate impassibilem, sicut Arius? Aut quid est dicere: unum de Trinitate passum carne, nisi ostendere & alterum impassibilem, sicut Nestorius? ex quibus apparet Trifolium contrâ subjectum propositionis argumentari, quod totâ ferè Epistolâ exequitur, quam à viris id temporis doctissimis confutatam fuisse suo inferius loco demonstro. Interim audiatur Ferrandus Diaconus cap. 11. laudata Epistolâ ad Anatolium: Tale est itaque, quantum conicio, imò potius quantum credo: Unus est de Trinitate passus, quale est dicere, Deus est passus. Sicut autem quisquis Deum prædicat passum, non substantiam divinitatis facit passibilem; sed divinitatis impassibilis, & humanitatis, quæ subiacta passioni, unam monstrat esse personam: sic unum de Trinitate passum prædicens, unitatem personæ commendat in utrisque naturis: excludens Nestorianos hereticos nefarium, perfidamque doctrinam, duos filios inducentis. Cùm sanctus Cyrilus in capitulo XII. contrâ Nestorium scriptisset: Si quis non confitetur Deum Verbum secundum carnem passum, secundum carnem crucifixum &c. anathema sit; acerrimi scriptis à Theodoreto Cyrrheni, Andrea Samosateno, Euherio Tyanensi, aliisque doctissimis Episcopis confutatus est, ac Apollinarii hereseos incusatus; siquidem Apollinarius negabat animam rationalem in Christo, quam ipsum Verbum supplevisse putabat; unde hanc thesim defendebat: Deus Verbum passus est carne. Hinc Cyrilus coactus fuit scriptis apologeticis, Epistolis, varisque opusculis illatam sibi Apollinarismi calumniam propulsare. Hæc ad Acaclum scribit: Et n̄ que illa quæ sunt Apollinaris sepuit unquam. Absit &c. Neque enim inanimatum dico Christi corpus. Confitor verò, quod animalium sit anima rationali. In tomo secundo operum tracti Athan-

nasi plures conciones leguntur, quæ posteriori ætate scriptæ sunt contrà laudata Cyrilli capitula. Exstat pag. 311, homilia inscripto titulo: *Adversus eos, qui dicunt: Paßus est Deus Verbum carne;* quod effatum è vehementi oratione refellitur, sed quæ tantum a rem verberet, cùm in alio prorsus sensu à Cyrillo ea positio intelligatur. Ex symbolo Nicæno credimus in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei, ex Parce natum unigenitum &c. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & homo factus, paßus est, & resurrexit tertia die &c. Hæc propositio credenda indicitur: *Filius Dei unigenitus est incarnatus, & paßus.* At non eadem ratione utrumque illud prædicatum de Filio Dei affirmatur. Nam verbum divinum teipso est immediate incarnatum, quia per suammet subsistentiam terminavit naturam humanam in esse suppositi; at non in seipso est immediatè vel mediatis passum, uti anima immediatè patitur intrinsecas passiones tristitia, odii &c. & mediante carne patitur vulnera, flagella &c, sed dicitur passum carne animata per puram communicationem idiomatum (dispensationem Cyrilus ac alii Patres dixerunt) quia cùm Verbum sit naturæ humanae assumpta suppositum, ac actiones & passiones supposito tribuantur, Verbum denominatur passum ex passione naturæ, cuius est suppositum. Itaque in eâ propositione: *Unus è Trinitate paßus est carne,* duplex subjectum exprimitur, nempe Verbum divinum uti subjectum denominationis, & caro animata tanquam subjectum inhæsionis, quod passio subiectum, & ab illâ immutatur. Hæc prolixius exponunt Theologi in lib. 3. sent. & cum sancto Thoma in 3. parte.

## CAPUT V.

*Legati Pontificii Monachorum capitula non damnarunt; sed approbare tanquam fidei dogmata recusaverunt. Monachi à Legatorum communione se dissoecant. Maxentius in lib. 2. Dialogorum adversarios Monachorum Scytharum acriter impugnat. Utrinque sibi hæresim exprobabant. Justinianus initio Monachis adversatus, dein magnus illorum patronus. Scribit ad Hormisdam Pontificem questionem de uno ex Trinitate inter Orthodoxos agitari. Monachi Diocororum Rome accusant. Pontifex initio deliberaverat causam delegare Patriarchæ C-P. Postea decernit eandem se coram discuti. Quædam in Epistola Diocori adnotantur.*

**U**bi primùm Legatis Pontificiis innotuit Monachos Scytha quædam è collegis Romanis missi, ut ab Hormisdâ Pontifice suorum capitulorum confirmationem suriperent, literas ad eundem statim scripsere, quibus eâ in causâ hactenus gesta significantes, non unam iisdem Monachis notam inuinebant. Diocorus privatum etiam Epistolam misit, insinuans Monachos cætera inter asserere *unum de Trinitate crucifixum*, quam propositionem Anastasius Imperator Catholicis subscribendam imperaverat, quamve olim Eutychetis discipuli in Synodo Calchedonei protulerant. Unde, inquit, *sanum mihi videtur & utile, & ad pacem Ecclesiæ conveniens, nihil aliud responsum dari, nisi: sufficit sanctum Calchedonense Concilium, in quo & alia Synodi continentur: sufficient Epistole Papæ Leonis, quas Synodus confirmavit.* Novitatem in Ecclesiâ introducere nec volumus, nec debemus. Altera Epistola communi nomine à Legatis ad Hormisdam missa est, in quâ scribunt se co-

ram Imperatore ac Senatu dixisse: *Extrâ Synodos quâtuor: extrâ Epistolas Papæ Leonis, nec dicimus, nec admittimus. Quid quid non coninetur in prædictis synodis aut quod non est scriptum à Papâ Leone, non sufficiimus.* Nullam ergo thesim Monachorum Legati hærefoes damnaverant, sed eam de uno ex Trinitate crucifixo, tanquam Catholica fidei dogma in libellum fidei uti Monachi contendebant, referre constanter recusaverant, quod ipsum ut præstaret Hormisda, rogarunt. Ea ergo propositio nullâ per Legatos latâ sententiâ probata fuerat, aut improbata; sed remanerat prorsus adiaphora. Addunt: *Nobis quod visum est scriptissimum: in restrâ potestate est deliberare, quod vobis Deus imperaverit; quod esset adhuc integra causa ad Apostolicâ sedis tribunal delata.* In fine verò Epistolæ hæc leguntur: *Et quâ solet Dominus noster vigilantiâ cogitatis, & quomodo suspendendi sunt, qui à nobis taliter recesserunt, & à nostra communione fuerunt sejuncti &c. quia eos omnes Constantinopolitana Catholica exhorret Ecclesia.* In Vaticano Codice numero 3786. rectè legitur: *quomodo suscipiendi sunt. Illis verò verbis: & à nostra communione fuerunt sejuncti, neutiquam insinuant, Monachos à Legatis Catholicâ communione privatos fuisse, sed ipsofmet Monachos à communicando cum Legatis abstinuisse; iisdem petulanter iratos, quod sua illa Capitula tanquam fidei canones approbare recusaverant.* Erat simplex communionis dissociatio, cujusmodi plura exempla in vetustis Ecclesiæ monumentis occurunt. Evagrius lib. 3. cap. 31. recitat literas Monachorum Palæstinæ, in quibus narrant Macedonium Patriarcham in formulâ fidei damnasse Nestorium & Eutychem, sed nullam Synodorum Ephesinæ ac Calchedonensis mentionem fecisse: *Quâ de re, inquiunt, Monachi Constantinopoli graviter commoti, se à Macedonia Episcopo separant.* Monachi Eutycheti adharentes in fine act. IV. Synodi Calchedonensis ausi sunt in hæc stultas voces erumpere: *Vestes nostras excutimus, & extrâ restrâ communionem nos efficiemus.* Hæc simplex communionis dissociatio contigit inter Romanam Ecclesiam, & Orientalem ob expunctionem Diptychis nomen Joannis Chrysostomi. Nullum inflatum erat anathema, non facris interdictum, non à totius corpore Ecclesiæ separatio ulla secuta cum terribili dirarum imprecatione. Erat sermonis, literarum, eulogiarum, aliorumque ejusmodi reciprocæ societatis signorum intermissio. Cùm id temporis Nestoriani, atque Eutychiani secum invicem contrariis omnino erroribus colliderentur, plures ea opinio occupaverat, nullam medium esse viam, quam inter utramque hæresim insisterent, ut cap. 2. ostensum est. Monachi Scythæ illam thesim de Christo uno ex Trinitate, contrâ Nestorianos tanquam Catholicum dogma tantâ asseveratione urgebant, ut eandem negantes, statim Nestorianos esse denuntiarent. Hisce suum contrâ Nestorianos Dialogorum opus Maxentius concludit: *Nec ego te unquam aliud aliquid quam hereticum judicabo, qui Deum Verbum Dominum nostrum Iesum Christum, qui pro nostrâ salute paßus est carne, unum esse ex sanctâ & individuali Trinitate non approbas.* Et sanè in ejus libri secundi parte extremâ Maxentius non contrâ Nestorianos, sed aduersus eos omnes, qui eandem thesim admittere recusabant tanquam dogma fidei, licet nec illam veluti falsam reiigerent. totis lacertis depugnat. Diocorus illam thesim eò præcipue inter Catholicæ fidei dogmata recipiendam negabat, quod à nullâ Synodo approbata fuerat. Maxentius cum ce- tera

# De uno ex Trinitate passo.

117

teria fater Nestorianum, quocum etiam ibi disputare singit, interrogaset, cur sub anathemate damnaret tūm eos, qui duas in Christo naturas palam affirmare vererentur, tūm etiam eos, qui beatam Virginem Christocon diceret, Theotococon autem eandem sacerdi renuerent, addit: *Quomodo nos Catholicos iudicabimus eos, qui dicunt Deum Verbum natum secundum carnem de Virgine: & passum carne pro nobis, & negant eum unum esse ex sancta & individua Trinitate, pricipue quia dicunt hoc Catholicae fidei convenire?* Tum sibi ita respondentem Nestorianum inducit: *Sed & duas naturas, & Theotococon dicere Synodus definivit: hoc autem nulla Synodus statuit: nempe Christum esse unum ex Trinitate.* Quæ est ipsa Legatorum sententia, contrà quam Maxentius: *Nihil igitur, inquit, arbitriari dicendum prater id, quod Synodis litteris continetur?* Et cùm objectasset Deum Patrem dici à Catholicis ingenitum, quo tamen vocabulo nusquam in Synodis appellatur, hoc sibi à Nestoriano repositum profert: *Hac de Patrum scriptis possum ostendere.* Quæ Maxentius excipiens, ait: *Sed & nos quod unus ex Trinitate Christus sit, ex Patrum scriptis ostendimus.* Quod sāne eo in opere non præstit, in quo nulla pro ea propositione confirmandâ testimonia Patrum adducit; que tamen ante in libello fidei appellaverat. Idem Maxentius in responsione ad Epistolam Hormisdæ ait: *Loci opportunitas exigit, ut demonstretur à nobis, qualiter & cur heretici, ex quibus unus Dioscōrus, unam personam Christum predicantes ex Trinitate, unam ex Trinitate Christum confiteri nullatenus acquiescant.* Ibi verò ut rechè ostendit Nestorianos, quo invidiam declinarent, subdolè, ac sinistro prorsus sensu concepsisse, Christum esse unam ex Trinitate personam, ita falsidæ quæd ac procaciter eandem damnatam sententiam impingit Diotoro, quem etiam Monachi Scythæ apud Hormisdam incusarunt, quod cum hereticis jungeretur, Hereticos appellantes, qui coties memoratam positionem de uno ex Trinitate non admittebant; quemadmodum etiam Dioscōrus afferentes unam de Trinitate crucifixum, in Eutychianæ heresios crimen, aut suspicionem saltem vocabat. Facundus Hermianensis lib. 1. de tribus Capitulis, initio cap. 5. consutaturus eos, qui Eutychianismū imponebant eam Monachorum thesim defendantibus, ait: *Quo Nestorianorum quoque columnias evertamus, qui nos putant ad confessionem duarum Christi naturarum dicere, quod unus ex Trinitate sit Dominus Iesus Christus.* Nec Dioscōrus erat Nestorianus; nec Maxentius Eutychianus; quamvis utraque litigantium factio, atq; disputacionis abrepta, falsa adversantium sibi invicem heresum nomina exprobraret, quod oppositam quisque sententiam majori apud ceteros odio oneraret. Utrosque graviter monet Vigilius Tapensis lib. 2. contra Eutychem cap. 10. *Et videas eos, si aquit, iustus se quibusdam & omni lamentatione digni insultacionibus hereticorum nomine se invicem accusare.* Tu, inquit, Eutychianista es; & tu Nestorianus es: *Apostolice sententia in totum oblitus, dicentis: Vide ne cùm invicem accusatis, ab invicem consumanini.* Galat. V. Quod autem Legati Pontificii de Monachi Scythis scribunt: *quia eos omnis Constantinopolitana Catholica exhorret Ecclesia,* non quampiam illorum heresim indicat, sed in sua ipsorum opinione defendandâ, atque universis inculcandâ, superbiam, arroganiam, ac temeritatem perstringunt. Nam iudicem Monachi in libro de sua fide ad Africanos Episcopos in Sardinia exulantes transmissio, scribunt se ea suggerere, quæ de Incarna-

tione & dispensatione divini nobiscum universæ sanctæ Ecclesiæ Orientalium contrâ hereticos defendunt. Nam Orientales Ecclesias propositionem de Christo uno ex Trinitate, inter fidei canones id temporis profiteri solitas, inferius demonstro, & ex libro de Virg. S. Sabæ cap. 2. id ipsum ostendi. Ecclesia autem Constantinopolitana Monachos uti inquietos ac turbulentos aversabatur, quippe qui alteratores clamosi aures omnium obtundebant, ac quibuslibet in re quidem consentientibus, sed iisdem secum vocabulis uti reculstantibus, heresios notam per summam audaciam inurebant. Ceterum eandem Constantinopolitanam Ecclesiam paulo post Monachorum thesim recipisse, quibusdam tantum Monachis Accensis exceptis, testatur Imperator Justinianus in literis ad Joannem II. Pontificem, ut inferius memorabo. Initio quidem motæ controversiæ idem Justinianus nondum Imperator, sed Justini imperantis nepos, contrâ Monachos Scythas ad Hormisdam scriptit Epistolam, que incipit: *Propitiâ divinitate &c.* In eâ verò Hormisdæ significat quosdam Scythaum Romanum profectos, quos etiam nomine designat, nempe: Achillem, Joannem, Leontium, ac Mauritiuum, quos ait contendere, novitates introducere in Ecclesiâ, quod neque quatuor Synodi venerabiles, neque S. Leonis Papæ Epistole continentur noscuntur, in omni loco turbas excitare videntur. Non ullius heresis, sed novitatis tantum ac turbarum auctores incusantur. Verum idem Justinianus à Vitaliano Magistro militum, eodemque pricipuo ac potentissimo Monachorum Scythaum patrono, rogatus, iteratas, sed à prioribus longè diversas, literas Romanam ad eundem Pontificem misit, delatore Paulino Romanæ Ecclesiæ defensore. De defensoribus Ecclesiarum eruditè tradit Christianus Lupus in notis ad canonem 23. Synodi Calchedonensis. Hæc ibidem Justinianus scribit: *Nam quanta quæstio in partibus nostris orta est, potest etiam antelatus vir religiosus Defensor Sanctitatem vestram instruere. Unde petimus, ut si est possibile, celerrimo dato responso, & satisfactis religiosis Monachis, Joannem & Leontium ad nos remittatis; nisi enim precibus & diligentia vestra ista quæstio soluta fuerit, reveremur, ne non possit Ecclesiarum sanctarum pax provenire.* In hac etiam Epistolâ significat Vitalianum eodem delatore Paulino, literas ad Hormisdam mittere. Cum verò paucis post diebus Eulogiu Agens in rebus, quod Palatinum officium erat, in Italianam mitteretur, Justinianus torus jata in Monachorum partes transgressus, tertiam ad Hormisdam Epistolam scriptit sub exordio: *Ut plenissima fidei &c.* quæ proximè legitur antè Epistolam 66. Hormisdæ, cui haec ille significat: *Quidam aferunt, Christum Filium Dei Dominum nostrum pro nostra salute carne crucifixum, unum de Trinitate debere prædicari: quod si suspicendum sit, paternâ provisione reverentia vestra eautissimo suo rescripto, quid sequi, quidve super hoc existere debearus, nos certiorare dignetur: quoniam verba videntur facere disensionem: nam sensus inter Catholicos omnes unus esse probatur.* Rogat, ut Apostolicæ Sedis decreto contentiones dirimat: *Hoc enim, inquit, credimus esse Catholicum, quod vestro religioso responso nobis fuerit intimatum.* Quâ brevi sententiâ supremam Romani Pontificis in controversiis de fide definiendis, auctoritatem confessus est. Denique precatur, ut Monachos Scythas probito eis responso nihil formidante, Constantinopolim remittat. Ex hac tertia Epistolâ Justiniani colligimus controversiam præcipuam, & qua unice Hormisdæ suggerit, fusse de Christo uno

L

cx

ex Trinitate, videlicet: *Utrum Christus, qui pro nobis carne crucifixus est, possit dici unus de Trinitate.* Legati Pontificii scribebant quæstionem huius de uno de Trinitate crucifixo. Maxima difficultas non erat penes prædicatum, sed in subiecto eius propositionis confitebatur: *num, scilicet, qui crucifixus est, unus esset de Trinitate?* Formula verò quæca quæstio à Legatis proponebatur, durior & parum grata Catholicis in Occidente præsertim, videbatur, quod Eutychianus ex eadem in sinistrum sensum detoriat, ipsam Deitatem passioni subiectam huius contendebant. Recè autem Justinianus insinuat Pontifici utramque litigantium partem esse Catholicam, eundem sensum Orthodoxorum apud utrosque teneri; ipsa tantummodo verba in quæstionem vocari. Nam Dioscorus cum ceteris Monachorum adversariis dicebat, Christum esse unam personam de tribus sanctæ Trinitatis personis: unum de Trinitate dicere recusabat. Monachi assertebant unum de Trinitate Christum adfruendum esse, ut strictius sub nomine personæ à Nestorianis dolos, quisque faciliter evaderet; siquidem isti Christum unam è Trinitate personam admittentebant secundum dignitatem, & honorem, & adorationem, ut can. 5. Synodi V. legimus, quod inferius alius quoque testimentiis ostendo; at negabat unam & eandem secundum unicam Filii Dei subsistentiam, personam in Christo. Hinc etiam colligimus Monachos nullâ haftenus sententiâ erroneæ doctrinæ damnatos huius, sed æquè ac adversarios eorum in Catholicis partibus huius.

Interea idem Monachi Romam advenerant, susque fidei libellum Hormisdæ Pontifici obtulerant, acriter de Diocoro Legato conquisti, qui cum Nestorianis communionem fovens, iniquiori erga seipso animo fuisset. Cum verò paulò post Paulinus ac subinde etiam Eulogius cum literis Legatorum, Vitaliani, ac Justiniani supervenissent, Hormisdas hæreter animo cœpit dubius, quid consilii caperet, cum præsertim animadverteret, Vitalianum non tam multiplicium officiorum obsequio, quam rebus contra Imperatorem Anastasiū fortiter gestis, de Apostolicā Sede bene meritum, ac Justinianum ex accusatore Monachorum, repente corundem ad vocatum, dexteras junxit, quod inito veluti sœdere Scytharum causæ patrocinarentur. Et sàm ejusmodi quæstiones Latīnæ Ecclesiæ ignota essent, Hormisdas liberaverat integrum adhuc causam Joanni Patriarchæ Constantinopolitano delegare, ut ubi orta erant dissidia, ac diversis partium studiis agitabantur, ibidem accuratori ac pleniori examine discussa, finem acciperent. Etenim Diocorus Hormisdæ postea rescribens, ait: *Significabis intentionem Monachorum Scytharum: & quomodo visum fuerit Apostolatui vestro Episcopo Constantinopolitano causam delegare, ut ipse inter eos, & qui ab eis impetuntur, audiret; nec sibi displaceat, ut per examen, quod verum est, omnibus manifestetur.* Ex his appetat, nullam eā in causā à Joanne Patriarcha sententiam pronuntiatam huius; aliás de eodem judice delegando Hormisdas nequitquam cogitasset. Rursus nec apud Legatos eam quæstionem in examen adductam huius; qui tantum illata Monachorum propositiōnem libello professionis fidei inserere regularunt, quod in nullā Synodo sancta legeretur, eandem tamen nec adprobantes nec improbantes, sed libero disputantium arbitrio dimittentes. Ceterum cùm Monachi interposito juramento, contestarentur sibi ipsi in itinere paratas esse insicias, Pontifex decre-

vit se coram causam expendi, ac 'expediri; ejus tamen cognitionem ad Legatorum in Urbem redditum differendam duxit. Itaque prioribus Justiniani literis respondens Epist. 66. ait: *Quapropter necesse habuimus venientibus Legatis nostris inquirere, qua revera faciente causa, inter eos fuerit commota discordia.* Volebat enim à Legatis totius controversie statum intelligere, priusquam ad discutendam causam accederet. Data est Epistola Hormisdæ die 2. Septembris, anno Christianæ Epochæ 519. Alteram Epistolam 67. posterioribus ejusdem Justiniani literis reposuit, hac de Monachis scribens: *Significamus Scythas Monachos allegae plurima, quia nos relinquere indisusa non possumus; illos in Urbe ad Legatorum uique redditum retinendos: Victorem Diaconum, aliosque qui perversus, inquit, forsitan obiciunt quæstiones, Imperatoris ius, ejusdemque Justiniani operâ Romanam mittendos. Illum verò tam repente eā in causā ex accusatore Monachorum in eundem advacatum ac patronum demutatus, perstringens, ait: Amplitudinem vestram tamen retinere confidimus, quod de ipsis nobis præterito tempore literis destinatis, scripsit. Hanc Epistolam per Eulogium in regiam Urbem redeuentem misit, cui alteram quoque Diocoro Legato tradendam, dedit, quæ intercidit. In hac autem significabat se, uti prædicti, cogitasse causam ad Joannem Patriarcham remittere: Monachos etiam contestatos, ne idemmet Diocorus cum hæreticis communicaret. Hinc ille data ad Hormisdam Epistolam, cuius exordium *Per Eulogium virum sublimem &c.* illatam sibi calumniam pluribus diluit, narrans quæcumque eā in causa ipse cum collegis gesferat. Dein paria accusatoribus reddens, ait: *Illi tamen Scythe (sciat beatitudine vestra) omnes qui accipiunt synodum Calchedonensem Nestorianos dicunt, dicentes: Non sufficit Synodus contrā Nestorium, & si debere Synodum suscipere, quomodo ipsi exposuerint.* Verum Diocori accusationi optimè occurserant Monachi in libello fidei ipsimet Diocoro ac collegis exhibito, nec non postea etiam Maxentius in fine libri 2. Dialogi contrā Nestorianos. Denique Diocorus, ne ob Monachorum accusationem, in cuiuspiam erroris suspicionem apud Hormisdam traheretur, professionem fidei reliquæ parte Epistole exequitur. Baronius ad A. 519. harumque rerum narrationem contexens, ac Monachos subinde perstringens, scribit: *Diocorus Apostolica Sedis Legatus in Epistolā ad Hormisdam ex eorum fidei professione hac verbacitat: Credimus, quia unitas divinitatis & humanitatis, quæ fieri cœpta est, non tantum in utero non est divisa, sed nec in partu, nec in nutrimentis &c. In quibus verbis observa, cùm unitam dicit unitatem divinitatis, nemp̄ substantiam, non personam; quem absconu loquendi modum idem ex Damasceno corrigit. At vix insignis unum & alterum errorum errat. In primis è loci Diocorus nulla ex professione fidei Monachorum verba recitat, sed ipsum sive professionem fidei contextit, quod ipsum idem postea fatetur, scribens de Diocoro: Sed & ne levè aliquā suspicione apud eundem Pontificem laboraret, exactam Orthodoxæ fidei confessionem iij/den suis apposuit literis.* Rursus hæc ibidem scribit Diocorus: *Verum est personam Filii, id est, Verbi Dei, consubstantiam Patri &c. ipsa naturam humanam suscepit sine peccato. Ipse Filius Dei homo factus, natus est de virginе Mariâ, propter quod eam Dei genitricem dicimus, & credimus, quia unitas divinitatis & humanitatis, que scilicet capti est &c. non tantum in utero non est divisa, sed**

# De uno ex Trinitate passo.

119

*sed nec in partu, nec in nutrimentis &c.* Ubi palam persona Filii Dei naturam humanam dicitur fulcisse, & unitatem personae unius Christi resultasse, non duas personas evasisse, ut deliravit Nestorius. Nusquam ibi legitur: *unitam unitatem divinitatis.* Sed *unitas*, non in accusativo adjectivi pluralis numeri, sed in rebus substantivi nominis ibidem exprimitur, ut prodigio proprius videatur, ea verba à V. C. in reprehensionem trahi potuisse. Hujus Epistola Dioſcori i subſignatio chronologica in mendō cubat, ubi dicitur: *Data Idibus Octobris, Eutharico Confule. Accepta XV. Kal. Decembbris, Rufico viro clarissimo Confule,* quasi ea Epistola decimo tertio demum mense Romam pervenerit. In optimo Codice Vaticano num. 4961. ex quo omnes Hormisdas Epistolæ primū exscriptæ sunt, pag. 97. rectè legitur; *Accepta XV. Kal. Decembbris, Conf. SS. videſet, Confule ſuprascripto, nempē Eutharico.*

## C A P U T VI.

Dionysius Exiguus Monachorum Scytharum theſim defendens Sancti Procli Epifolam ad Armenios Latinitate donat. Trifolius eandem oppugnat. Nove illius objectiones à synchronis Scriptoribus soluta. Quæſitionem de uno ex Trinitate puram logomachiam fuſſe Justinianus, ac alii ejus ætatis Scriptores refutantur. Idem tradit Joannes II. Pontifex. Ita de hypothesi ac ſubſtentiā inter Patres litigatum. Nestoriani unam in Christo perfonam verbo tenuis fatebantur. Inaneſ quorundam ſcrupuli præpoſitionem de, in ex, vel, in Trinitate demutantium.

Cum Hormisdas delata ad Apostolicum tribunal caufe diſcussionem uſquè ad Legatorum reditum diſtulifer, ut variè propensa ſunt hominum ingenia, Monachi in Italiam tum patronos, tum etiam adverſarios ſortiti ſunt, quibus annis etiam inſequentiibus, alii ſe adjuñxere, ante quam à Joanne II. Pontifice ea litigia decretoriā ſententiā finirentur. Dionysius cognomento tantum Exiguus, cætera magnus, natione Scytha, profeſſione Monachus, tum Romæ degens, ingenti doctrinæ famâ florebat. Nam & Græcorum Conciliorum canones Latinitate donaverat, ac Epifolas plurium ſummorum Pontificum in unum codicem coegerat. Idem etiam anno 525. Cyclum Paſchalem anno rum XCV. deſcripſit, quo poſte Romana Ecclesia uſa eſt. Dionysii laudes Cassiodorus proſequitur in libro de divinis Lection. capite 23. Cum Monachi illam theſim de uno ex Trinitate incarnato, ac paſſo, ex Epifola Sancti Procli ad Armenios excepram defendere teſtarentur, Felicianus Paſtor Dionysium Exiguum rogauit, ut eandem Latio donaret, cui ille morem gerens, præmisit præfationem, quæ Monachorum Scytharum propositiōnem propugnavit. Demonſtrat Nestorianos Theodori Mopſuetiensis diſcipulos Symbolum de pravaſſe, Beatam Trinitatem ſic unius cœptiæ prædicantes, ut Chriſtum Dominum noſtrum conditorem universitatis, unum ex Trinitate nullatenus faterentur: unde ſequebatur duas uifte juxta ipsos perfonas in Christo, quam impiam hærefim Synodus Ephesina conixerat. Addit Proclum eandem conſutantem, docuſile Chriſtum: *Deum Verbum unum de Trinitate eſſe &c. & pro ſalute noſtrâ, eundem verum hominem factum, unum maniſſe Filium, nec quartam in Trinitate creviſſe perfonam.* Et quia nunc ob aliquibus injec-

tum ſerupulum, de verâ fide trepidatur, unum quemlibet ex beatâ Trinitate pronuntiare diſſuigant &c. Ubi eandem propositionem egregio Sancti Auguſtini teſtimonio confirmat, ex lib. 11. de Civitate Dei cap. 24. quod ipsum poſte etiam adduxit Joannes II. cum causam absolvit. Initio autem præfationis dicit Dionysius *eam nunc Ecclesiæ moram quæſitionem,* ex quibus iſdem contentionibus Romæ ferventibus, illud opus à Dionysio elucubratum uifſe coligitur.

Faſtus Senator Romanus, cùm maximè ea controverſia doctorum hominum ingenia exerceret, ac variae eſſent diſputantium ſententiæ, conſuluit per literas neſcio quem Trifolium preſbyterum, cuius ad Faſtum reſcripta ex Sirmonidianis ſchedis proſert Labbæus Tom. IV. Concil. à pag. 1590. ſub hoc planè exordio: *Mandare nubi dignatus es, Monachos Scythas à Constantinopoli adueniſte, qui unum de Trinitate prædican crucifixum, ſperans à parvitate mea, ſi tale aliquid in doctrinâ Patrium repererim.* Non erat illa quæſio principalis, ſed uti prenotabam, altera ex priori recte deducta, quæ tamē asperior piis quorundam auribus videbatur. Trifolius utrinque eandem oppugnavit, ſcilicet tum ex parte ſubjecti, tum etiam ex parte prædicati. Cūm hæc denuntiasſet: *Vita quidquid quatuor Syndi in definitione fidei non posuerunt; paucis mysteria Trinitatis & Incarnationis exponit, dein argu- menta contrâ memoratam propositionem conden- sat, quæ omnia hic optimè à doctissimis ejus ætatis Scriptoribus ſoluta demonſtrabo, ut palam fiat, quām falſis paralogiſmīs Monachorum thema impe- teretur.*

Primum argumentum eſt: *Qui unum de Trinitate dicunt paſſum, ſi Ariani non ſunt, dicant de quibus tribus unus paſſus eſt; de tribus Patribus, aut de tribus Filiis, aut de tribus Spiritibus sanctis.* Quo ratio- cincio oppugnat ſubjectum propositionis, quod in præcipua quæſitione eſt prædicatum: *Num Chriſtus, vel Deus Verbum dici poſſit unus de Trinitate.* Reſpondit olim Augustinus per ſimiſi interrogatio- ni tract. 39. in Joannem: *Nunc mihi, inquit, ca- lumniaſor reſpondeat: quid ergo tres? Si enim tres ait, oportet dicat, quid tres? Reſpondeo, Pater, & Fi- lius, & Spiritus sanctus.* Ecce, inquit, tres dixi- fi: ſed quid tres exprime, in dū tu numera. *Nam ego compleo tres, cūm dico, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.* Itaque instanti: de quibus tribus unus paſſus eſt, reponit cum Sancto Doctore, de tribus, qui ſunt Pater, & ipſe Filius, qui carne paſſus eſt, & Spiritus sanctus. Rursus unus de tri- bus ſubſtentiis ſuppoſitus in unitate eſſentiæ di- vi- nae, carne paſſus eſt. Facundus Hermianensis in Africâ Epifopus lib. 1. de tribus Capitulis ad Imperatorem Justinianum, validè Monachorum the- ma propugnans, cap. 3. recte obſervat in cap. 3. Geneſeos legi: *Ecce Adam quās unus ex nobis factus eſt; iſque verbi Trinitatem deſignari.* Tum arguit: *Nunquid unus Deus ex nobis, quās ex tribus Dūs; aut unus Pater ex nobis, quās ex tribus Patribus; aut unus Filius vel Spiritus sanctus ex nobis, quās ex tribus Fi- liis, vel Spiritibus sanctis?* *Quis hoc vel inſanus dixit?* Rusticus S.R. E. Diaconus in libro contrâ Acephalos ſcribit tres perfonas eſſe tres quādam res, & interro- gati quā respondere poſſumus, perfonæ: *Quando au- tem, inquit, dicimus, iſi tres: interrogati qui tres? ambi- gitus reſpondere, perfonæ, propter indecentem fer- monum compositionem, ne videamur dicere iſi perfonæ, vel iſi*

L. 2

tres

tres personæ. Verum ex communi modo loquendi Theologorum, uti dixi, recte respondemus, tres subsistentes personaliter vel notionaliter in una divinitate essentia.

Alterum argumentum Trifolii est: Apollinaris negat Christum animam & intellectum habuisse, & pro anima & intellectu, inquit, Deus ei suis; sed dicit, unum de Trinitate passum in carne. Cum Cyrilus in duodecimo anathematismo scriptisset, Deum Verbum secundum carnem passum, secundum carnem crucifixum, Theodoretus, Andreas Samosatenus, & Orientales passim Episcopi eundem Apollinaris heresios incusarunt, quam sanctus Doctor calumniam suis in libris saepè confutat, scribens se carnem anima rationali informatam intellectisse. In responsive ad objecta contraria undecimum capitulum à Theodoreto, adducit plura Scripturæ sacrae testimonia, in quibus sola caro Christi nominatur, & nullam, inquit, penitus in his anima intelligentis mentionem fecit. Monachi in professione fidei latentur duas naturas unitas, hos est, divinitatis & humanitatis: Dicunt, Deus Verbum natura est unitus humana. At caro sine anima est cadaver, nec se sola constituit naturam humana, sed uia cum anima intellectuali ipsammet carnem informante. Eruditus Maxentius lib. 2. Dialog. ait: Quod quia nimis absurdum est, carnem sine anima à Iudei's credere crucifixam, restat ut caro animata Dei à Judais crucifixia credatur, quod est procul dubio homo.

Tertium argumentum Trifolii ita construitur: Si unus de Trinitate passus est in carne, caro maneat impassibilis. Est planè ridicula objectio. Nam anima hominis cruciatus ac lassiones corporis sentit in carne, vulnera, famem, sitiū &c. quas extra carnem passiones nullatenus sentit; quis tamen carnem impassibilem dicat? Homo qui est compositum, passiones sentit, ac ejus partes prout unitas, sibi intrinsecè communicatae patiuntur, nempe caro prout animata, & anima quatenus in carne, & quatenus exercet munus animæ sensitivæ, non prout est præcisè intellectualis. In Christo Domino caro prout animata passa est lassiones corporis, sive sensit passiones corporeas, Deo Verbo uno ex Trinitate remanente secundum se formaliter impassibili; attachment secundum communicationem idiomatum passibili ob unitatem suppositi; idem enim simul erat Deus & homo; quatenus Deus Verbum unus de Trinitate, est impassibilis; quatenus homo, est passus.

Quarta Trifolii objectio. Qui unum de Trinitate filium dicunt passum, duos aut tres filios colunt, ex quibus unus passus est, duo manent impassibiles. Hoc quoque argumento proposicio ex parte subjecti impugnatur. Unum quandoque exprimit, ac designat numerum, quandoque est exclusivum numeri. Durn dicens: Petrus est unus ex Apostolis, non designas solum Petrum, sed confusè etiam alios Apostolos; qui in ea propositione connotantur. At dum dicens: Unus est Deus; unus est sol: unus idem est ac solus, quæ vox est exclusiva numeri, ac unitatem tantum significat. Ferrandus Diaconus in Epistola ad Anatolium cap. 16. scribit: Quid ergo Trinitas, nisi tres persona? quæ sunt tres persona, nisi Pater, Filius, & Spiritus sanctus? In hac Trinitate neque tres patres invenis, neque filios tres, neque spiritus sanctos tres: & propter securus dicens: Unum Filium de Trinitate, quia non est in Trinitate Filius nisi unus, cuius personam significantes dicimus, Unum de Trinitate passum, quia ipse tantum ritu credunt passus, qui cum esset vere &

propriè Deus, verè & propriè factus est homo &c. Itaque in illa propositione: Unus de Trinitate Filius est passus, vox unus ut connotat numerum trium, significat unum trium subsistentium personaliter in individua essentiæ Trinitate; vel eadem vox unus juncta cum prædicato passus, idem est ac solus, quia unus ac filius est in carne passus.

Argutatur V. Trifolius: Si de Trinitate est Filius, non est de Patre secundum Deitatem: neque de matre secundum carnem; sed de Trinitate. Est puerilis nugatio. Præpositio de aliquando significat processionem unius ab altero; atque ita in Symbolo Filius dicitur Deus de Deo, lumen de lumine. Aliquando ea vox est expressiva numeri, uti Luca cap. 22. Judas dicitur unus de duodecim, & cap. 23. unus autem de his qui pendebant, latronibus. Ita M. Antonius fuit unus de Triumviris. Cum dicitur Christus unus de Trinitate, particula de numerum trium subsistentium in unitate essentiæ significat, quorum unus est Filius. Et hæc pariter objectio fit contraria subiectum laudatae propositionis. Maxentius lib. 2. Dial. ait: Nos autem neque per generationem, neque per processionem, neque per creationem, sed juxta numerum Christum unum fatemur ex Trinitate. Vide sine, ut ibi ad adversiorum objectiones respondeat?

Sextè instat Trifolius: Trinitas & unus de Trinitate quatuor sunt, sicut dicit Nestorius, Filius Maria & associatus est Filio Dei, & factus est communis Trinitati, & passus est unus de Trinitate. Aius unus Deum diridit in duos Deos; Nestorius addendo alterum filium secundum carnem Trinitati, facit quatuor personas. Sunt nuge. Triumviratus, & unus de Triumviratu non sunt quatuor, quia unus de Triumviratu semel collectivè nominatur cum duobus collegis: & iterum speciatim ac sejunctim solus signatur. Trinitas collectivè tres in divinis personaliter subsistentes significat, quorum quilibet divisim consideratus, est unus de Trinitate. Recedit Ferrandus in citata Epistola capite 10. Hoc ergo dicit, qui unum de Trinitate passum dicit. Non est quarta persona qui passus est, sed ad numerum pertinet Trinitatis. Manens enim Dei Filius impassibilis secundum divinitatem, per susceptionem natura passibilis passioni subjacuit. Et quamvis alia sit in illo natura, per quam semper impassibilis perseverat: alia per quam dicitur temporaliter passus; ipse tamen impassibilis passus est, non aliis est impassibilis, & aliis passus; quod impie putavat Nestorius duos filios in Christo fingens, ac binas personas, quarum una erat Deus, altera purus homo, ac proinde quaternitatem inducebat, quam ut eliminaret Proclus, thesim illam protulit, de uno Trinitatis carne passo, quo quidem dicto unitas secundum hypostasim asseritur, ac dualitas personarum excluditur, uti cap. 1. notatum est.

Opponit VII. argumentum Trifolius: Sicut & Eutyches commisere naturas Dei & hominis, & jam nec Deus, nec homo; nec Pater, nec Filius, nec Spiritus, sed est ille unus de Trinitate. Et hoc quoque argumentum, uti passim allatæ ratiocinationes, contraria subiectum propositionis adducitur. Eutyches unam in Christo Domino naturam commentus, cum interrogaretur, quæ ratione ex divinitate Dei Verbi natura, & ex assumptione natura hominis, una postea tantum natura resultaret, respondebat: Non disporto de natura Dei mei. Ex gestis Synodalibus S. Flaviani insertis Act. 1. Concilii Calchedonensis. Itaque hæsit aqua Eutycheti, cuius tamen vadum discipuli tentantes, dixerunt ex natura humana ac divina

# De uno ex Trinitate passo.

121

divinā resultasse tertiam naturam compositam, uti ex animā & corpore natura hominis conflatur, vel quemadmodum panis ex aquā ac farinā componitur. Cū autem Eutychiani naturam à personā nullā ratione distinguerent, unum de Trinitate in illā tertiā naturā passum blaterabant. At Catholici Doctores absurdam hæreticorum blasphemiam reflebant; quia tertia illa natura neque erat propria Dei, neque itidem propria hominis, ac proinde Christus per eandem neque erat consubstantialis Patri, neque ejusdem nobiscum substantiae. Non enim Deus habet naturam compositam, sed omnino simplicissimam. Illa ergo tertia natura composita, non constituebat Christum unum de Trinitate, sed quid aliud fictitium extrā Trinitatem. At vetustiores Eutychianos, quorum Petras Fullo magister fuit, unicam natūram divinam in Christo affirmarunt, unde unum de Trinitate Deum Verbum in ipsā naturā divinā passum dicebant, à quā procul hæresi fuere Monachi Scythæ, duas in Christo naturas *inconfusæ, immutabiliter, indivisiæ, inseparabiliter* consitentes cum Ma-xentio in professione fidei.

Denique obiecit octavus Trifolius: *Quid est dicere, unum de Trinitate passum, nisi ostendere & alterum de Trinitate impossibilem, sicut Arius? Aut quid est dicere unum de Trinitate passum carne, nisi ostendere & alterum impossibilem, sicut Nestorius?* Et hæc quoque intoncentur contrā subjectum thesis quatenus *unus de Trinitate* in cādem legitur. In Synodo Ephesinā A. 1. insignis sententia Sancti Gregorii Nazianzeni in Epistolā ad Cledonium lādatur, quā posteriores Patres frequenter usi sunt, videlicet: *Aliud & aliud est ex quibus Salvator constat; siquidem non unum & idem sunt visibile & invisibile; eternum & temporaneum; at non est tamen aliud & aliud, absit hoc &c.* Dico autem aliud & aliud, contrā quam in Trinitate reperitur. Ibi enim est aliud & aliud, ne hypothesis confundantur; non tamen aliud & aliud, quoniam diuinitate idem sunt. Quæ plane exscribens Sanctus Vincentius Lirinensis cap. 19. Commonitorii, ait: *In Deo una substantia, sed tres persone. In Christo duæ substantiae, sed una persona. In Trinitate aliud, atque aliud, non aliud atque aliud. In Salvatore aliud atque aliud; non aliud, atque aliud. Arius, ac Nestorius hæc non observantes, delirarunt.* Arius putavit Filiū esse ita alterum à Patre, ut esset aliud & aliud à Patre, nemp & distincta persona, & diversæ insuper à Patre naturæ. Nestorius duas in Christo naturas rectè credens, at duas quoque personas in eodem affirmans, Christum aliud & aliud à Deo Verbo obtrudebat; cū esset aliud ratione humanæ naturæ, non verò aliud; quia eadem una erat persona Verbi & humanitatis sibi conjuncta. Eadem docuerat S. Augustinus tract. 36. in Joannem: *Alius est, inquit, rectè dicens: aliud non rectè; alius enim est Filius, quia non est ipse qui Pater: & aliis Pater, quia non est ipse qui Filius; non tamen aliud, sed hoc ipsum est & Pater & Filius. Quid est, hoc ipsum est? Unus Deus est.* Prolixius eadem prosequitur serm. 38. de Tempore, hæc ibidem notanda: *Cum enim personaliter aliis sit Pater, aliis Filius, aliis Spiritus sanctus; his tamen unum est naturæ nomen, quod dicitur Deus, vel substantia, vel essentia &c.* Et superius dixerat: *Sciendum verò est, quod quædam de Deo substantialiter dicuntur, ut Deus est magnus, omnipotens, & quicquid ad se dicitur, id est, substantiam diuinitatis significans.* Arius erravit contendens Filium esse alterum substantialiter à Patre, cū tantum personaliter alius esset ab eodem.

Idem enim S. Doctor tract. 71. in Joannem de Patre & Filio loquens, ait: *Verum quia sic aequalis est alter alteri, ut tamen alter sit ex altero: quā phrasī sacerdotiū alibi loquitur; uti S. Fulgentius in libro de Incarnatione expōns textum Joann. 3. Non enim misit Deus Filium suum &c.* ait: *Sinē dubio personaliter alter misit, alter est missus.* Utī verò alius, & alter, ita & unus sinē ullo addito, itidem personaliter accipitur.

Quid alterum de Nestorio in hac ipsā objectione idem Trifolius opponit, in ipsum validè retorquetur. Nam cū Nestorius duas in Christo personas adstruxerit, divinam scilicet & humanam, alter erat Deus Verbum, & alter homo, in quem ille errorē descendit, ne Deus carne passus diceretur, sed de solā personā hominis passio prædicaretur. At Cyrillus in duodecimo capitulo adversus Nestorium hunc canonem statuit: *Si quis non confiteretur Dei Verbum secundum carnem passum, secundum carnem crucifixum &c. anathema sit.* Proclus vero, quod Nestorium directā acie invaderet, thesim illam pronunciavit: *Unus est de Trinitate qui passus est; non alter de Trinitate Deus Verbum non passus: & alter homo Christus passus; sed unus & idem Deus homo passus est, non quatenus habens naturam divinam, sed carne passus, quatenus continens naturam humanam cum divinā, unione hypostaticā copulatam, ita ut qui suscepit, & quod suscepit, una esset in Trinitate persona. Neque enim nomine assumpto, quaternitas facta est, sed Trinitas mansit, assumptione illā ineffabiliter faciente personā unitus in Deo & nomine veritatem.* Quæ aurea verba sunt S. Augustini cap. 24. de Dono persever. quibus nacentem tum Nestorianam hæresim præfocavit. Hinc Facundus lib. 1. cit. cap. 3. ait: *Ita jam nobiscum Nestorianos urgere debent, ac premere, ut non tantum unam ex Trinitate personam dicant, quod illi male, sicut jam diximus, interpretantur: sed etiam unum ex Trinitate passum, quod nullā fraude possint eludere.* Illa enim positio de uno ex Trinitate, est plane trabale telum, quo hæresis Nestoriana conficitur, ut non possim non mirari, Trifolium tam procul à scopo aberrasse, dum putavit eo effato Nestorianos erigi, quo maximè opprimitur.

Cum Monachi memoratæ loquendi formulæ auctorem Sanctum Proclum publicarent, Trifolius repunit hæreticos, qui scripta Athanasii, Cyrilli, ac Leonis Magni depravarunt, ipsas etiam Procli litteras dolo malo corrupisse. At vanam hominis opinionem redargunt, qui eodem saeculo vixerunt, Joannes II. Pontifex Epistolā 3. ad Senatores, Imperator Justinianus in edicto contrā tria Capitula, Facundus initio laudati operis, Liberatus Diaconus cap. 10. Breviarii, Ephremius Patriarcha Antiochenus apud Photium Cod. 228. ac denique Dionysius Exiguus, qui ipsam sancti Procli Epistolam Latinitate donavit; qui omnes appellata à Monachis ex Procli Epistolā testimonia, reapse indē exscripta firmissime asseverarunt. Quæ verò idem scripto de Eutychetis discipulis ob eam propositionem in Act. IV. Synodi Calchedonensis damnatis opponit, superius cap. 2. explanata sunt, ac discussa, ut haud opus sit, ut Tertulliani verbis utar, ferram per eandem lineam reciprocare.

Nullus dubito, quin ex hac tenus recitatis Trifolii objectionibus, datisque locupletissimis insigniū ejus ætatis Scriptorum responsis, clarè appareat ejusdem controversiæ statum in eo præcipue fuisse, num Christus Dominus dici posset unus de Trinitate.

L 3 Totæ

Tota autem illa contentio erat pura puta inter Catholicos logomachia, qualis planè olim fuerat de voce *hypostasis* quæstio tantæ opinionum discrepantia Latinam inter ac Græcam Ecclesiam agitata. Quid quod illud dictum *unus de Trinitate*, nonnulli cautores sive simpliciores, variata præpositione efferendum duxere, quo objecta sibi terricula evitarent? Justinianus in Epistolâ, quam anno 519. eo de argu-mento tertiam ad Hormisdam scripsit, narrat, uti superiore capite notabam quosdam afferere: *Christum Filium Dei Dominum nostrum pro nostra salute carne crucifixum, unum de Trinitate debere prædicari.* Additque: *Quoniam verba facere videntur dissensionem; nam SENSUS inter Catholicos omnes UNUS esse probatur.* Hac Justinianus, qui totus in eam causam descenderat. In eadem pariter sententiâ fuerunt, qui non obiter, sed sumimâ diligentia atque accurato studio eo de thema te disputarunt. Ferrandus Diaconus Carthaginensis in Epistolâ ad Anatolium, Monachis Scythis prolixâ disputatione patrocinatus, eandem cap. 18. concludens, ait: *Superest nunc in conclusione hujus voluminis, eisdem duabus sententiis, de quibus inter se disputantium FRATRUM prolixâ sit alteratio.* Dicitur ergo unum de Trinitate pâsum &c. Idem in alterâ Epistolâ ad Severum cap. 9. scribit eos, qui negant Christum unum de sanctâ Trinitate, si fateantur eundem Dei Filium factum hominis filium, in quo & divina & humana natura sit, & hunc Filium ad Trinitatem pertinere: *Quid ad nos, inquit, quibuslibet verbis rectam prædicent fidem?* Quæ repetit in fine Epistolæ. Itaque erat quæstio inter Catholicos, & si sapuit vir ille doctissimus, pura quæstio de nomine. Facundus Hermianensis lib. 1. de tribus Capit. cap. 3. initio latit ait: *Quod sint etiam Catholici, qui, sicut credimus, nescientes hoc antem memorata synodo confirmatum, superflue contrâ DE VERBO contendunt, quia videtur eis, quod dici non debeat, unum de Trinitate pro nobis crucifixum, sed potius unum de Trinitate personam.* Et in fine ejus prioris libri ait quosdam Ecclesia communicantes, tamen per contentionem verbi superflue negare debere dici unum ex Trinitate crucifixum. Claudit locupletissimum ac certissimum testium numerum ipsumet supremus judex Hormisdas Pontifex, qui in Epistolâ 77. de motâ à Monachis Scythis controversiâ ad Justinianum scribens, ait: *Non opus, ut stabilitatem fidei vestre contentionis potius quam rationis sequaces, procaci VERBORUM nivitate confundant.* Erat enim Latinorum auribus ignota ea phrasis, *unus de Trinitate*, quæ tamen in Orientali Ecclesiâ erat vulgatissima inter Catholicos, & professioni fidei inserebatur.

Utraque litigantium pars duas in Christo naturas indivisiæ, inconfusæ, inconvertibiliter adversus Eutychianos fatebatur. Utraque unam in eodem personam contrâ Nestorianos adstruebat, ita ut unus idemque esset Filius Dei & Filius hominis. At secum invicem disputabant, num Christus, dicendus esset una persona, vel potius, unus de Trinitate, uti disertè testatur proximè auditus Facundus. Enim vero Maxentius in response ad Epistolam Hormisdæ, scribit se demonstrare: *Cur heretici, ex quibus unus Diocorus, unam personam Christum prædicantes ex Trinitate, unum ex Trinitate Christum confiteri nullatenus acquiescent.* At in re idem omnino sunt *unus de Trinitate*, & *una persona de Trinitate.* Hinc Joannes II. Pontifex in Epist. 3. ad Senatores ait ab Imperatore Justiniano hanc sibi quæstionem definitam propositam fuisse: *Vtrum unus ex Trinitate Christus*

*et Deus noster dici possit: hoc est, una de tribus personis sanctæ Trinitatis sancta persona.* Itaque idem est *unus de Trinitate*, ac *una persona Trinitatis.* Ut enim alius & alter, ita etiam unus intelligi potest personaliter, ut superioris ostendi. Augustinus cap. 38. Enchiridii ait: *Unus Trium, hoc est, una persona Trinitatis.* Quod tamen utraque factio hæreticum sensum utrius loquendi formulæ subesse contendebat, hinc tot clamoræ disputationes, tot litigantium strophæ, tot contrâ se invicem factitiae accusations. Exemplum, uti dixi, diu antè præcesserat, persimilis de *hypostasis* voce contentionis Latinam inter ac Græcam Ecclesiam. Nam ut ait Sanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 21. *Hic deinde Sabellianismus tribus personis afflictus est: & Arianismus tribus hypostasiibus, quorum utrumque pertinax contendendi studium falso adinvenerit.* Latini tres personas, & unam hypostasim in sanctâ Trinitate esse affirmabant; ipsis enim hypostasis idem erat ac substantia, natura, & essentia. Hieronymus cum in Orientem transmisisset, constanter negabat affirmare tres hypostases, ne cum Arianis sentire videretur; undè Epist. 57. ad Damasum Papam scribit: *Non timebo tres hypostases dicere, si iubeatis. Condatur nova post Nicenam fides, & similibus verbis cum Arianis confiteamur Orthodoxi.* Tota sacularium literarum schola nihil aliud hypostasim nisi usum novit. Et de Græcis loquens Augustinus lib. 5. de Trinitate cap. 8. ait: *Dicunt quidem & illi hypostasim; sed nescio quid volunt interesse inter usum & hypostasim.* Diuturnior contentio fuit, priusquam Latini nomen hypostasis in eadem cum Græcis significatione reciperent; cum tamen utriusque essent in re significata concordes, nempe unam esse essentiam, ac tres personas. Ita vox *subsistentia* apud Latinos pro subsistentia accipiebatur, ut disertè tradit Augustinus lib. 7. de Trinitate cap. 4. *Sicut enim, inquit, ab eo quod est esse, appellatur essentia, ita ab eo quod est subsistere, substantiam dicimus.* Absurdum est autem, ut substantia relativè dicatur, omnis enim res ad se ipsam subsistit, quantò magis Deus. Verùm altero post Augustinum saeculo, Latina Ecclesia vocem *subsistentia* relativè accepit, ac tres in Trinitate subsistentias admisit, teste tūm florente Facundo Episcopo lib. 1. cap. 3. qui loquens de divinis Personis ait: *Deinde etiam subsistentiae dictæ sunt, quoniam Ecclesiæ placuit, ad significandam Trinitatem, & hoc nomen distinctioni personali tribuere.*

Verūm licet de nomine *persona*, aut voce *unius* admittendis, litigarent, Monachis Scythis illa formula, *una Trinitatis persona*, Nestorianam hæresim olere dicebatur; adversarii vero eam thesim: *unus de Trinitate pâsus*, Arianismum ratione quidem subjecti, Eutychianismum autem respectu prædicti, sapere contendebant; undè utriusque pro Catholicis dogmate contrâ hereticos sese depugnare gloriantur. Etenim Nestorius, quò duarum personarum in Christo abs se assertarum blasphemiam occuleret, unam se in Christo personam fateri autumabat, non quidem secundum hypostasim, sed pro auctoritate dignitatis, quia Christus vicarius Dei Verbi erat constitutus, undè & illius personam representabat, quemadmodum Paulus 2. Cor. II. 10. ait: *Nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in personam Christi.* Hinc de Nestorio ac sectatoribus scribit Sanctus Cyrillus ad Valerianum: *Nam unam dumtaxat personam se statuere fingunt.* Et Facundus lib. 1. cap. 3. ait: *Sed unam dicere personam, Nestorianorum nova subterfugia minùs excludit: qui convicti innumeris testimoniis*

testimonis Patrum, quod Deus Verbum & assumptus homo una persona sit, pro auctoritatis dignitate ab eis hoc vel existimans dictum, vel existimare se fingunt. Itaque Nestoriani hanc propositionem admittebant: Christus est una persona de Trinitate; at non physicè ac reapse id intelligebant; sed moraliter, pro auctoritatis dignitate, quatenus Christus vicarius Dei Verbi potestatem preferebat, ut vicarii personas Principum representant. Hanc tamen assertionem: Christus est unus de Trinitate, nullâ omnino ratione admittebant, sed veluti Eutychianæ hæreticos axioma aversabantur, ut cap. 2. ex libro de Vitâ S. Sabæ observabam. Hinc cum Dioscorus Legatus Hormisdæ palam fateretur Christum esse unam Trinitatis personam; negaret tamen esse unum de Trinitate, Maxentius eidem Nestoriani erroris notam objecit; cum tamen Dioscorus sensu planè Catholicò, Christum unam Trinitatis personam esse affirmaret; in sensu vero Eutychianorum, eundem unum de Trinitate dicere recusaret.

At qui Monachos Scythas oppugnabant, Arianam illis hæresim impingeant; siquidem illis verbis, unus de Trinitate, individuam Trinitatis essentiam proscindi in plures distinctas substantias suspicabantur, quia vox unus nullam relationem importare videbatur, ac proinde cum unus substantialiter tantum sumi posse putaretur, semel uno Trinitatis asserto, essentiam Trinitatis multiplicandam fore inferebant, quemadmodum Ariani delirantes arbitrabantur. Hac de re cap. 8. prolixior termo redibit. Rursus quâ unus de Trinitate passus dicebatur, unita solummodo in Christo natura divina cum Eutychie asseri videbatur, ita ut Deitas in semetipsâ, non vero in humanitate assumptâ, passio subiiceretur, quod fuit Petri Fullonis delirium, ut antè notavimus. Cum inter S. Cyrrillum & Orientis Episcopos dissidia erupissent, isti Cyrrillum Apollinarii hæreticos incusabant; Cyrrillus vero Orientales Nestoriani erroris societate implicatos denunciabat, cum tamen idem utraque pars sentiret, & tota hæretor in verbis contentio. Laudandi planè doctissimi ejus aetatis Scriptores Ferrandus Diaconus, eique suppar Facundus Hermianensis, qui optimè intelligentes eam controversiam esse puram putam logomachiam, ab omni contumeliâ, ac infamium nominum impositione Catholicis disputationibus abstinentem esse dixerunt. Hæc scribit Ferrandus cap. 15. laudatæ Epistole ad Anatolium: Omnis ergo Catholicus aut unus de Trinitate passum, simpliciter audiat, simpliciter dicat; aut loquens cautè, non tamen infideliter, unam personam de tribus passam fateatur; nec ideo quempiam judicet hæreticum, qui unum de Trinitate passum ILLO SENSU dicit, quo etiam ipse unam personam de tribus passam veraciter dicit. Facundus eidem similiter scribens lib. 1. cap. 3. sui ad Justinianum operis, cum dixisset: Quocirca recte dicitur & unus de Trinitate crucifixus, & una ex Trinitate persona, post paucos versus addidit: Nihilque DE VERBO sit dissendum, placere omnibus debet, ut unus ex Trinitate vel de Trinitate crucifixus pro una persona dicatur. Porro eruditè advertit modum illum loquendi: unus è Trinitate, antiquiorem esse alterâ enuntiandi formulâ: una ex Trinitate persona; siquidem nisi post exortam Sabelli hæresim nomen personæ usurpatum fuit ad mysterium Trinitatis clarius explicandum. Hinc Augustinus lib. 7. de Trinitate cap. 4. ait: Propterè licuit loquendi, & disputandi necessitate, tres personas dicere, non quia Scriptura dicit, sed quia

Scriptura non contradicit; ubi tres personas ob Sabellii hæresim primùm nominatas ostendit. At semper Ecclesia credit tres esse in individuâ Trinitate; credit præterea non totam Trinitatem, sed Filium, qui est unus de Trinitate, incarnatum fuisse; ac proinde antiquior est prior ille modus loquendi de uno ex Trinitate.

Denique observo eos quoque, qui pro voce persona, unum usurpabant, nescio quibus scrupulis motos, de interjectâ præpositione secum invicem dissensisse. Nam auctor est Ferrandus in Epistola ad Severum Scholasticum, quosdam negasse Christum unum esse de sanctâ & individuâ Trinitate, cum tamen cum dicenter, unum esse ex sanctâ & individuâ Trinitate. At hi nodum quererant in scirpo. Latini enim Patres Nicenum symbolum interpretantes, dixerunt: Deum ex Deo, vel Deum de Deo. Si dicas M. Antonius fuit unus de Triumviris, vel unus ex Triumviris, perinde est; nec sensus variata præpositione, variatur. In lib. 1. Machab. cap. VII. 26. legitur: Et misit Rex Nicanorem unum ex principibus suis. At cap. XIV. 2. misit unum de principibus suis. Alijs vero dicebatur Christus neque unus ex Trinitate, aut de Trinitate, sed unus in Trinitate. Maxentius lib. 2. Dialog. reponit: Unum autem in Trinitate dicere Christum, & unum cum ex Trinitate diligere, non Catholicorum, ut asseris, sed illorum est proprium, qui Christum à Trinitate creatum, ita esse credunt in Trinitate, ut non sit de Trinitate; Verum Maxentius aded obstinate sua propositioni de uno ex Trinitate adhæret, ut vel unum iota in eadem mutant, hæreticos statim esse vociferet; cum tamen Christus sit unus in Trinitate, non extrâ Trinitatem, ut dicebat Nestorius. Augustinus cap. 24. de Dono persever. scribit à Deo Verbo humanam naturam assumptam, ita ut qui suscepit, & quod suscepit, una essent in Trinitate persona. Quâ brevi tanti Doctoris sententiâ objecta à Maxentio terricula depelluntur. Insignia de hoc ipso S. Fulgentii testimonia capite in sequenti produco. Denique Dionysius Exiguus in præfatione ad Epistolam S. Procli ad Armenios, quosdam redarguit, qui unum ex Tribus adserentes, unum ex Trinitate dicere nullâ ratione consentiunt; quorum opinionem recitasse, confutasse est.

## C A P U T VII.

Catholici Orientalium diœceseon professioni fidei Imperatori oblato inserunt thesim de Christo uno ex Trinitate. Hinc illa Dioscoro Legato non probata. Monachi Scythæ ab Hormisdâ sub liberâ custodiâ Roma retentî. Epiphanius fit Patriarcha C-T. Monachi librum cum insertis Capitulis de uno ex Trinitate, &c. ad Episcopos Africanos mittunt. Africani Patres fidem corundem comprobant: qui pro uno de Trinitate, unam personam ex Trinitate reponunt. Monachi turulentâ fugâ ex Urbe recessunt. Hormisdas Pontifex eosdem scriptâ ad Possessorem epistolâ, redarguit. Maxentius in confutandâ eadem epistolâ impudentia ac petulantia. Eadem epistola ab Africanis Episcopis laudatur.

**C**æteros inter Orientales, qui sublato Acaciano schismate, communionem cum Romanâ Ecclesiâ, dato fidei libello, expetebant, fuere Clerici ac Monachi Antiochenæ, & Hierosolymitanæ dicessum, qui Justini Imperatoris edicto de concordia Ecclesiarum restaurandâ publicato, suas ad eundem

dem Principem preces, cum insertâ fidei professio-  
ne, per Apocrifarios transmiserunt. Extat illorum  
libellus supplex inter epistolas Hormisdæ, in quo  
testantur, se nunquam à traditâ à majoribus fide re-  
cessisse, sed eandem inter persecutionum procellas  
constanter servasse. Profitentur se quætor Oecume-  
nicas Synodos venerari, ac detestari graſantes cir-  
cunquaque Eutychianos, Acephalos, ac Nestoria-  
nos. Hęc insuper scribunt: *Dominus noster Jesus Christus unus est ex sanctâ & unius essentiâ Trinitate; si enim unum Deum in tribus subsistentiis, sicut dictum est, accipimus, Pater autem non est incarnatus, nec Spiritus sanctus; Deus Verbum incarnatus est, & homo factus, est unus ex sanctâ & unius essentiâ Trinitate secundum filiationis proprietatem.* Item: *Hoc enim vere magnum pietatis mysterium, quia unus ex sanctâ unius es-  
sentiâ Trinitate incarnatus, & homo factus, Deus Ver-  
bum in utraque naturâ Dicitatis & humanitatis indi-  
viduè, & inconfusè cognoscitur &c.* Hęc prolixius pro-  
tuli, ut appareat defensam à Monachis Scythis pro-  
positionem, In Patriarchatu Antiocheno atque etiam  
Hierosolymitano adē constanter assertam, ut ean-  
dem libello professionis fidei inserere consuercent.  
Justinus Imperator laudatam professionem ostendit  
Dioscoro Legato Hormisdæ, qui concepte semel op-  
nioni adhaerens, thesim illam de uno ex sanctâ Trini-  
tate, tertium memoratae professioni insertam, ap-  
probare recusavit. Horum auctorem habemus ipsum-  
met Imperatorem, ad Hormisdam scribentem in Epis-  
tolâ, cuius exordium: *Quanto flagramus studio &c.* in quâ narrat sibi preces oblatas ab Orientalibus certa  
quædam differentibus profide Catholica, secretaque suæ  
mentis declarantibus, quæ apud se pro individuâ Trini-  
tate constituta testantur, quæque firmiter sese recepturos  
ostendunt; bisque relectis, Dioscorus aliqua afferuit  
non convenienti ordine inserta fuisse. Scribit se brevi  
Legatum cum sibi oblatis supplicationibus Romanum  
misurum: quid possit refecari tandem dubitationes incongruae. Data est epistola die 19. Januarii, anno  
vulgaris Epochæ 520. Cum in illis precibus Ori-  
entalium continetur professio fidei de Incarnatione  
Dominicâ, ea tantum ad Trinitatem pertinent, ubi  
semel, iterum, ac tertio Unus è Trinitate Christus  
adstruitur: quod effatum Dioscoro displicebat, cùm  
mallet pro uno sanctâ Trinitatis, scribi unam per-  
sonam Trinitatis; quod autem ea esset de verbo,  
non de re quapiam dissensio, rectè Imperator dubi-  
tationes incongruas dixit.

Monachi Scythæ diuturnioris in Urbe morâ im-  
patientes, simulque ægrè ac molestè ferentes causæ  
discussionem usque ad redditum Legatorum dilatam  
fuisse, nec secundum illius exitum sperantes, quod  
Dioscorum adversarium haberent, eo etiam infestio-  
rem timentes, quod illum apud Pontificem accusa-  
verant, clam Româ secedere deliberaverant, quod  
cùm Hormisdæ innotuisset, eosdem in liberâ custo-  
diâ detineri jussit, quoque Legati reversi essent:  
*Quos,* inquit Hormisdas Epist. 63. ad Legatos, *tum*  
*nos faciemus sollicitius custodiri, ea quæ de vobis con-  
traria dixerunt, volentes agnoscere, ut cum rever-  
si Deo propitio fueritis, eorum error rationalibus adbor-  
tationibus corrigitur.* Scripta est epistola die 3. De-  
cembris, anno 519. Anno proximo obiit Joannes  
Patriarcha C.P. cui sententiâ & electione Justini Im-  
peratoris, accedente Clericorum, Monachorum,  
ac plebis consensu, suscepimus Epiphanius, quem  
Theophanes scribit ordinatum fuisse die 25. Februarii,  
quæ anno 520. iacedit in Feriam III. Cyclo

Solis XXV. litt. E. D. Novus Patriarcha paulò post,  
suos de more Legatos ad Summum Pontificem desti-  
navit Joannem Episcopum Claudiopolis, Heraclia-  
num Presbyterum, ac Constantimum Diaconum.  
Verum Joannes in morbum incidens, tardius cum  
collegis Romanum iter suscepit.

Interea Monachi Scythæ novas aliundè suspectias  
advocaturi, inito cum affeclis consilio, ad Africana-  
nos Episcopos Thrasamundi Vandalorum regis jussu  
in Sardiniam deportatos, Legatum mittere decreve-  
runt, quod doctissimorum Patrum suffragia sibi com-  
pararent. Libellum etiam iisdem miserunt, Joanne  
Diacono legatione fungente; & in inscriptione qua-  
tuor nominantur, & cæteri fratres in causâ fidei Ro-  
ma directi. In ejus libri cap. 1. scribunt: *Igitur jux-  
tā sanctorum Patrum traditionem, D. N. Iesum Christum in duabus naturis unitis, & inconfusis, id est, di-  
vinitatis & humanitatis in una persona sive subsistentia  
constitutus.* Quâ doctrinâ Nestorianâ atque Eutychi-  
ana hæresi condemnatur. In cap. 2. tradunt B.  
Virginem verè & propriè esse Dei genitricem. Scri-  
bunt insuper: *Mine etiam à sanctis Patribus adunatio-  
ne ex divinitate & humanitate Christus Dominus noster  
compositus predicatur;* quod egregio testimonio Mal-  
chonis Presbyteri in Synodo Antiochenâ contrâ  
Paulum Samosatenum confirmant. Dein cap. 4. hi-  
scie exordiuntur: *Hac de causâ Trinitas etiam post In-  
carnationis mysterium Trinitas mansit, quia idem Deus  
Verbum etiam cum propriâ carne unus est ex Trinitate:* non quod caro ejus sit de substantia Trinitatis, sed quia  
caro Dei Verbi est, qui est unus de Trinitate. In capite  
V. Nestoriano errore rejecto, quatuor Synodos se  
sequi, ac S. Leonis epistolas amplecti contestantur,  
ac damnare scripta Theodori Mopsuesteni, ejusque di-  
scipuli Nestorii; His, inquietunt, adjicientes Eutychem,  
Dioscorum, cum sociis eorum, omnesque quos justè ac  
regulariter Sedes Apostolica condemnavit. Tria sibi  
defensa capitula de Christo uno ex Trinitate; de B.  
Virgine verè & propriè Dei genitrice; ac de Chri-  
sto composto, Africanis Patribus diligenter examina-  
tione discutienda proposuerunt, ut cap. 1. præstantur.  
In tribus reliquis capitibus Pelagianorum errores e-  
gregiè confutant. Apponitur subscriptio: Petrus mi-  
sericordia Dei Diaconus subscriptus. Joannes misericor-  
dia Dei Monachus subscriptus. Leontius misericordia Dei  
Monachus subscriptus. Joannes Lector misericordia Dei  
subscriptus. Librum cum vulgo appellavi, qui ta-  
men ab Africanis Episcopis rectius epistola nuncupatur  
in libro de Incarnatione & gratiâ cap. 2. Hęc,  
inquiet, ex epistole vestra tenore posuisse sufficiat.  
Erant eò loci in Sardinia XV. Episcopi ex Byzace-  
na provinciâ pulsi, quorum Primus Datianus: om-  
nium os & lingua erat S. Fulgentius Episcopus Ruf-  
ensis, vir ejus etatis doctissimus, cui collegæ a-  
dornandæ responsionis curam delegarunt. Ille verò  
eruditum æquè ac prolixum volumen elucubravit,  
ac de Incarnatione, & gratiâ inscripsit. In priori  
capite nomina Episcoporum initio recensentur, quos  
inter antè penultimum ipse Fulgentius legitur. Scri-  
bunt literas sibi missas recepisse: quibus, inquiet,  
recensitis, vestram simul alacres & fidem cognovimus  
& salutem: imò in agnitione verae fidei vestra nobis sa-  
lus immotuit. Hoc tam gravi doctissimorum Patrum  
judicio, ac tam favorabili sententiâ, Monachorum  
capitula uti Catholicae fidei conformia, ab omni ob-  
jectæ hæreseos suspicione absoluta sunt. Ita tamen  
Episcopi in ejus causa examine se gesserunt, ut ex  
tribus capitulis ad Incarnationem Dominicam spe-  
canti-

# De uno ex Trinitate passo.

125

Eratibus; unum expressè approbaverint; alterum non Græcorum phrase, sed frequentatâ apud Latinos loquendi formulâ expresserint; tertium denique consultò omiserint. Nam à capite secundo usque ad novum prolixè probant B. Virginem esse Dei genitricem. At id præcisè utl definiunt in Ephesinâ Syndico contrâ Nestorium, à nullo Catholicô in quæstionem vocabatur, sed quidam, ut ait Facundus lib. I. cap. 4. negabant virginem Mariam verè & propriè Dei genitricem appellari; cum Nestorium, inquit, forentur, propter quod eam matrem Dei negabat, debuisse damnari. Semel tantum in fine cap. 6. Africani alterum ex adverbis inserunt: Verè igitur Deum Verbum Maria concepit, quod incarnatum peperit; quemvis utrumque adverbium plura que producunt, argumenta omnino comprobent, & ea presertim que unam in Christo personam fuisse convincant. Jam verè in capite X. differunt de famosâ Monachorum thesi de Christo uno ex Trinitate. De ipsâ quidem cum Monachis sentiantur; at insuetam Latinis loquendi formulam adhibere recusantes, scribunt Trinitatem non esse incarnatam; sed solus, inquit, Filius, id est, ille, quem in unitate naturæ Pater coeterum sibi Filium & coequalē genuit, id est, una ex Trinitate persona Christus Dei Filius unicus, ut nos salvos faceret, carne conceptus, & natus est de ventre Virginis Matri. Hac Latinis consuetâ phrase passim suis in libris Fulgentius usus est. In libro de Baptismo Ethiopis, in fine cap. 3. ait: Eadem plena humanitas Filiū cum aternâ divinitate sua, una est in Trinitate persona. Et cap. 7. de quinque quest. ad Ferrandum Diaconum: Filius quoque unitarianus dicitur in Trinitate persona. In libro conterà sermonem Fastidiosi cap. 20. Christus itaque, qui non est Trinitas, sed una ex Trinitate persona; ut vigilator planè odiosus Maxentius censendus sit, qui unum in Trinitate Filium dicentes hereticorum numero furiosus accenseret. In sequentibus viginti capitulis Africani de divina gratia contrâ Pelagianos differunt, quorum consideratio extra lineam est suscepiti in presenti argumenti. Nusquam autem de Christo composite eo in libro loquuntur, quod ea questio erat Latinis incognita; quamvis tamen prolixius unionem duarum naturarum in una persona Christi exponant, ac comprobent.

Monschi Scythæ annum jam Romæ exegerant, nec quidquam in ipsorum controversiâ acciditum fuerat, cum Pontifex Legatorum reatum epperendum decrevisset, quemadmodum Justiniano aliquis significaverat. At Monachi cum probè intelligent, Hormisdam proposita capitula de uno ex Trinitate crucifixo, ac de Christo composite minus probare, non quod salsa & Catholica fidei repugnantia judicaret, sed quod insuetâ Latinis phrase, eaque, diverso licet sensu, ab Eutychianis usurpatâ, exprimebantur, Româ secedere statuerunt; cum presertim veterantur, ne reveris Legatis, longè pectori loco ipsorum causa futura esset, cum Dioscorus, quocum Constantinopolis apertas similitates exercerant, quemve apud Hormisdam Romæ accusaverant, nihil intentatum relicturus crederetur, quo illatas sibi injurias ultimâ ieret. Verum ne fugientem subirent, ad Imperatorum statuas coram populo Romano protestationem, ut ait Hormilda, fecerunt, quâ sibi adversantibus invidiam conflantes, coactos se Româ discedere publicarunt. Pontifex improvisam Monachorum fugam adeò molestè tulit, ut scribens Possestor Episcopo eosdem jure ac me-

rito hisce perstrinxerit: Nunquam apud eos charitas novo commendata præcepto: nunquam pax Dominico reliqua discessu, una pertinaciâ cura propositi, ratione velle imperare, non credere; contemptores autoritatum veterum, novorum cupidi quæstionum, solam putantes scientia relâam viam, qualibet conceptam facilitate sententiam, conque rumoris elati, ut ad arbitrium suum utriusque Orbis putent inclinandum esse judicium: nec in numero fidelium deputantes sequaces traditionis paternæ, sisæ rident cedere nolle sententia. Hoc & alia ejusmodi Hormisda. Data dicitur epistola Idibus Augusti, anno 520. Nusquam illos hereticos dixit, sed in conceptis opinionibus defendendis, obstinationem, imò furorem exprobavit, quo acti precipites tum Orientis tum Occidentis Ecclesis suis ipsorum sententias imperiosi inculcabant. Novarum quæstionum cupidos traduxit, qualis profectò erat spud Latinos excitata à Monachis controversia de uno ex Trinitate; qua tamē propositio Orientalibus, ut ostensum est, adeò erat accepta, ac probata, ut eandem professioni fidei inseruerint contrâ Nestorianorum versutias, qui cùm in Occidente nullas turbas darent, nulla proinde ejus propositionis asserendæ necessitas Latinis incubuit. Etenim his dicebatur, ut sibi dixi, una de Trinitate persona, quos tamen Monachi protervè ac arroganter Nestorianis adhærere calumnialabant, eosdem in numero fidelium, ut ait Pontifex, neutiquam deputantes. Possestor, cui eam Epistolam Hormisda scripsit, erat Episcopus ex Africâ cum cæteris à Thrasamundo rege Arieno pulsus, ac tum degens Constantinopoli, idemque contrariam Monachis Scythis factionem sequebatur. Maxentius in response ad Epistolam Hormisda scribit: Possestorem non solum non confiteri Christum Filium Dei ypsi unum ex individuali Trinitate, sed & adversari eis qui hoc fiducialiter confitentur, atque infideles & perfidos nefanda accusare temeritate. Itaque Possestori epistolam publicante, varia ejusdem exempla quaquavertum vulgata sunt; ac Monachi ab adversariis traduci, quod à Pontifice sibi rimentes, Româ ausigissent. Evidèntia tara precipiti fugi, suomet judicio causâ cecidisse videbantur, quā obsemet ad Apostolicum tribunal delata, uti planè desperatam, deseruissent.

Maxentius ubi primùm animadvertisit hostes Monachorum in memorâ Hormisda epistolâ triumphum cerere, contra eandem stylum tanto furore atque impetu distinxit, ut omnes illius periodos confutans, mille convictiorum plaustra contrâ Hormisdam evomuerit. Verum quod licentiūs contrâ illum debaccharetur, epistolam malo emulorum do-lo Hormisda affectam finxit: Si tamen non est, inquit, (quod magis credendum astimo) ab hereticis fida; Et inferius: Nam & ipsi heretici, ut superius dictum est, ad hoc ubique bene ipsam, cui respondimus, epistolam proferunt, quatenus & sapè dictis Monachis invidiam concient, & omnes quasi ex autoritate ejusdem Romanî Episcopi prohibeantur Christum Filium Dei unum confiteri ex Trinitate. Sed quis hanc sententiam Catholicanon esse ausus est profiteri, quam universa veneratur, & amplectitur Dei Ecclesia &c. Hunc Nestorianum esse scribit. Deinde: Sed absit, inquit, ut ex qualibet parte Catholicae professioni Romanus Episcopus contradicat. Addit Hormisdam permisisse Monachos Scythus per quatuordecim penè menses sibi communicare, ac rogasse Romanum Magistrum militum: Quatenus sua verba piissimo Imperatori insinuaret, que fuere bujusmodi: Nisi Christus Filium Dei, qui pro-

no-

nobis passus est in carne, unum esse ex sancta & individuali Trinitate fuerit confessus Dioscorus, pelago demergatur. Unde quis facile credere audeat, hanc a memorato viro (ut sapere diximus) directam epistolam? &c. Verum tamen sive ab hoc, sive a quolibet alio hac sit scripta epistola, non est dubium auctorem ejus esse haereticum; cui ille non tantum Nestorianae haereses, verum etiam Pelagiani erroris notam pari petulantia, ac falsitate inaurit, ut facilis sit Aethiopem lavare, quam effrennam ac violentiam suribundi hominis impudentiam aliquam in speciem tantum probabili defensione incrassare. Non ergo huc arcessam S. Cypriani ad Pompejum Episcopum Sabratensem, vel S. Firmiliani ad eundem Cyprianum epistolas: non tumultus a Joanne Patriarcha Antiocheno ac Orientalibus contra S. Cyrilum excitatos: non totius ferè Occidentalis Ecclesiarum Vigilio Papa ob damnata tria Capitula secessionem, ne unius Monachis concepta semel opinionis amore obsecrati, facinori obvelando ea imprudenter reuelem, quæ facta, nullus non Catholicus infecta mallet. Monstri instar est illa Maxentii pro Monachis Scythis apologia; siquidem ubi in priori ejus parte Hormisdæ epistolam acerbissimis calumniis impedit; in posteriori pro sancti Augustini doctrinâ contra Faustum Rejensem decertat, ita tamen ut longè majori vituperatione percellendum sit, quod Hormisdæ epistolam tot tantisque dicterioris laceraserit, quā laude excipiens, quod Faustum Augustinianam de divinâ gratiâ doctrinam per insidias circumvenientem, ejusdem S. Doctoris testimoniis confutavit. Et sane Maxentius ipsa criminis purgatione fit reus. Nam Hormisdas Monachis id virtio vertit: *Nec in numero fidelium deputantes sequaces traditionis paterna; si sua viderint cedere nolle sententia;* Quod repleto Maxentius præstitit, dum sibi adversantes ubique tanquam haereticos traducit, & ipsi sum Pontificem non quidem eam thesim de uno ex Trinitate condamnante, sed eam in fidei Catholice canones referre justis de causis recusantem, Nestorianum ac Pelagianum improbè ac perulanter obtrudit. Sed nec frigida ac affectata de epistola auctore dubitatio Maxentii crimen imminuit, quia quamvis auctor in dubio fuisset, obsequium erga supremum in Ecclesiâ Dei judicem silentium eidem impunere debebat, ac stylum ab omni maledicentiâ colhibere. At epistolam illam ad Possessorum Hormisdæ Papæ adscribunt illi ipsi Episcopi Africani in Sardinianâ id temporis exultantes, quorum suffragia iidem Monachi Scythæ, aut qui eisdem in legatione paulò post successere, implorarunt, in epistola Synodica, quam ad Joannem Presbyterum, Venerium Diaconum ac collegas miserunt. Nam de libris S. Augustini Prospero ac Hilario nuncupatis, scribunt: *Quorum mentionem beatæ memoriae Hormisdas Sedis Apostolicæ gloriosus Antistes in epistola, quam consulenti se sancto Fratri consacerdotique nostro Possessori rescriptit, cum magno praeconio Catholica laudis inferuit.* Hinc colligimus hanc epistolam post obitum Hormisdæ scriptam, eamque ad alios à Monachis Scythis diversos missam suisse; Illis enim eam legentibus, nimis oculi doluisseat, cum in eadem tot turpibus notis insigniantur. Hi vero erant posteriores Legati, qui post Scytharum abscessum, pro eadem causâ apud Apostolicam Sedem promovendâ, Romanum ab Orientalibus destinati fuerant, ac forte cum Legatis, de quibus proxime scribo, in Urbem advenire,

## CAPUT VIII.

Justinianus pro definienda thesi de uno ex Trinitate plures ad Hormisdam literas scribit. Justinus Imperator Legatum ad eundem mittit cum laudata thesi professioni fidei Orientalium insertâ. Legati Epiphani Patriarchæ Romam adveniunt. Hormisdas Justinum rescribit. Ejusdem argumentum contrâ famosam thesim expontur. Cur eandem approbare recusaverit.

**M**onachi causâ nondum expensâ, Româ discesserant, cùm nihil planè de eadem Hormisdas Pontifex statuisse. Hinc scribit Maxentius in response ad epistolam ejusdem Hormisdæ: *Quod Monachis responsum quarentibus, Romanus Episcopus dare omnino distulerit, eosdemque &c. vacuos & sine ullo effectu ad has partes venire compulerit, quod omnibus penè Catholicis notum est.* Hæc tamen Justinianii studium in promovendâ apud Apostolicam Sedem definitione thesis de Christo uno ex Trinitate, nullatenus debilitarunt, quin potius ad eandem impetrandam, longè vehementius incenderunt, ita ut iteratis ea de re literis Pontificem toto ferè deinceps biennio interpellare nunquam desisterit. Cùm Legati à novo Patriarcha Epiphanio Romam destinati, ob unius aegritudinem longiores Constantinopolis moras facere cogerentur, ac Legati Hormisdæ jam ex regia urbe Româ profecti essent, Justinus Imperator Eulogium Tribunum ac Notarium, quæ insignis erat dignitas Palatina, in Italiam ad Theodosicum regem Gothorum mittens, eidem literas ad Hormisdam scriptas tradidit, quibus significabat se discendentibus Legatis Pontificis insinuasse: *Quod capitula, quæ ad perfectam Ecclesiæ unitatem pertinebant, Apostolatus, inquit, vestro per reverendissimum Joannem Episcopum sequenter manifesta faceremus: quæ tamen ipsis hic presentibus fuerant declarata. Sed evenit prafatum Joannem Antistitem longâ aegritudine detineri. Data est epistola die 31. Augsti Anno 520. Addidit suas quoque literas Justinianus, quorum exordium: Quantâ reverentia &c. quibus Pontificem rogans ait: Postulamus enixiūs ut &c. nobisque tara de sermone, de quo vertitur controversia, nempe de uno ex Trinitate, quâ de nominibus Episcoporum sub Acacio defunctorum, per Eulogium virum sublimem, Tribunum & Notarium dignetur Apostolatus vester integrum indubitateque definire responsum.* Eulogius maximis itineribus celans, Romanum Kalendis Octobris advenit, ac utranque epistolam Hormisdæ tradidit. Cùm vero paulò post Eulogii discelsum, Joannes Episcopus convaluisse, ac cum collegis ad iter Romanum versus se compararet, Imperator suum quoque Legatum Gratium Magistrum scribentem Ecclesiasticis Legatis adjunxit cum literis ad Hormisdam, quarum initium est: *Quo suimus semper &c. Pontificem unum & alterum rogat. In primis petit, ut damnatis Acacio, Petro Fullone, Petro Moggo, Dioscoro, ac Timotheo, ceterorum Episcoporum, qui durante schismate, è vita decesserant, nomina in diptychis suarum Ecclesiâ recitari possent, quemadmodum hactenus recentissimi fuerant. Deinde ait preces sibi ab Orientis Clericis ac Monachis portatas cum insertâ fidei ipsorum professione: Hanc itaque, inquit, chartulam secundum nostra promissa per Joannem virum reverendissimum Episcopum dirigendam nobis in præsenti merito credimus, ut à vestra*

sciz

Sede etiam tenor eius admissus, ad colligendas proficiat, & aduanandas ubique venerabiles Ecclesias, & Hierosolymitanam praecepit &c. Data est epistola Idibus Septembris Calchedone, Anno 520. Annexum apposuit libellum Orientalium, qui post Justini epistolam legitur sub titulo: *Exemplum precum.* Deo amabili ac piissimo Imperatori ex Deo Augusto & Principe Justino Christianissimo Deprecatio & Supplicatio ab Hierosolymitanis & Antiochenis, & secunda Syriae Clericis & Abbatibus, & possessoribus Syriae provinciae. In eo autem fidei libello legitur: *Dominus noster Jesus Christus unus est ex sancta & unius essentia Trinitate.* Qued effatum ter ibidem exprimitur, ut ostensum est initio proximi capituli septimi. Nec mirum eam thesim ab Orientalibus in fidei canonem relata fuisse, cum sancto Sabao teste locupletissimo, eadem esset publica Catholicorum tessera contra Nestorianos, quemadmodum cap. 2. praecorvavi. Rursus in eodem libello legitur: *Unde propriè Dei Virgo genitrix esse creditur:* quod est alterum capitulum a Monachis Scythis contra Accemetas propugnatum, ac nonnullos etiam alios, ut ex Facundo ac Ferrando Diacono intelligimus. Denique haec profitentur: *Hoc enim vere magnum pietatis mysterium, quia unus ex sancta & unius essentia Trinitate incarnatus, & homo factus Deus Verbum, in utraque natura Deitatis & humanitatis indivisi & inconfusè cognoscitur, & adoratur, non conversionem vel mutationem suscitans, sed proprietatem utriusque naturae in una persona in semetipso conservans.* Quia Catholicæ professione Nestorii & Eutychetis hæreses apertissime condemnantur. Ex his vero patet magnum Virum falso scripsisse Monachos Scythas id afferendum contendisse, quod nemo aliquando post Concilium Calchedonense dixisset: cum ea propositio, *Christus est unus ex Trinitate,* fuerit veriti dogma fidei apud Catholicos toto Oriente receptum.

Justinianus oblatæ memoratæ legationis Romam destinatae occasione usus, iterum ad Hormisdam scriptæ epistolam sub exordio: *Quantam veneracionem religionis &c.* Legatos Epiphani Hormisdæ commendat, atque haec insuper scribit: *Dignetur ergo sanctitas tua suscipere memoratos viros religiosissimos libenter, & habitis orationibus, placataque divinitate, sic omnia debeat ordinare venerabiliter, ut nihil ultra remaneat in ambiguo.* Nobis enim videtur, quoniam filius Dei vivi D. N. Jesus Christus ex virginie Mariæ natus, quem prædicat summus Apostolorum carne passum, recte dicitur unus in Trinitate cum Patre, spirituque sancto regnare, majestatisque ejus personam IN TRINITATE, & EX TRINITATE non infideliter credimus. Addit de nominibus Episcoporum in Diptychis retinendis eadem, que Imperator quoque scribebat. Et concludit: *Nos etenim finitis Capitulis, de quibus scripta suscepisti, ultrà non patiemur à quoquam controversiam religionis in republica nostra moveri, nec restram sanctitatem convenit audire superflua concertantes.* Quia postremæ periodo sugillat eos, qui negabant Christum posse dici unum ex Trinitate. Epiphanius Patriarcha Synodicam de more ad Hormisdam mitrens, alteram ad eundem epistolam iisdem legatis tradidit. Illius initia est: *Quantam habuimus alacritatem &c.* Scribit de recitandis nominibus Episcoporum &c. ac de oblatis ab Orientalibus precibus Imperatori cum annexo libello fidei: *Hæc epistola legitur cum aliis ante Epistolam 63. Hormisdæ Tom. IV. Concil. edit. ult. pag. 1537.* Legati tardiū Romam pervenere,

siquidem laudate Justini & Epiphani literæ signatur acceptæ pridiè Kal. Decembri Rustico Consule idest, Anno 520.

Hormisdas antequam Legati advenirent, breviorem ad Justinianum epistolam 77. misserat, quæ commendat illius in Ecclesiâ defendendâ sedulitate, significat se promissos Legatos avidè expectare, ut omnibus quæ in controversiâ erant, ab iisdem intellectis, postea quid è re Catholicâ foret, publico decreto statueret. Propositæ verò questioni de uno ex Trinitate, hæc pauca respondit: *Non opus ut habilitatem fidei restringere contentionis potius quam rationis sequaces procaci verborum novitate confundant. Sancta Trinitas Pater, & Filius, & Spiritus sanctus unus est Deus;* banc Israel jussus adorare, cuius inseparabilis & indiscreta substantian potest dividiri, non potest sacrificia distinctione separari; servat tamen proprietate suâ unicuique persone. Hormisdas Monachorum sententia nullam hæreseos notam inurit, sed procastis verborum novitatis elogio illam insignit, quod ea loquendi formula, ut sibi prius præmonui, erat Latinis incognita. Non obscurè autem insinuat ex illâ phrase: *Christus est unus è Trinitate, videri divisionem in inseparabilem ac indiscretam substantiam Trinitatis induci;* quod planè erat præcipuum argumentum, quo positio de uno ex Trinitate vulgo oppugnabatur; ut mox expono. Hujus etiam argumenti occasione ortam puto questionem id temporis inter eruditos agitatum, videlicet: *Utrum Trinitas inseparabilis dici debeat separabiles habere personas, an etiam in personis sit omnino inseparabilis.* Cui sanè questioni cum Ferrandus Diaconus vir aliqui doctissimus, solvenda non esset, eandem sibi exponendam, Sancto Fulgentio proposuit. Legati exente Novembri Romam ingressi, Imperatoris ac Patriarche literas Hormisdæ tradidere, qui iisdem lectis, ac Legatis non semel auditis, varias in partes trahi cœpit, dubius, ne permittens, in sacris tabulis recitari nomina Episcoporum, qui in Acaciano schismate obierant, Ecclesiæ legem infringeret, neve approbans inculcatam sibi tot epistolis a Justiniano thesim de uno ex Trinitate, Latino-rum aures offendret. Hinc de utraque difficultate sibi consultans, responsum in quartum usque mensem distulit. Atque ita exiit annus Epochæ Christianæ 520. novumque in Fastis annum Consules aperuerunt Justinianus Imperatoris nepos in Oriente, ac Flavius Valerius in Occidente.

Justinianus qui se totum in controversiam toties memoratam de uno ex Trinitate, immerserat, tandem dilatæ ab Hormisdâ responsionis impatiens, iteratas ad eundem literas misit, que incipiunt: *Diligenter Apostolatus vester &c.* Scribit Imperatorem, seque pariter omnem operam reparande religioni impendisse; atque eam ob rem perficiendam, Legatos in Urbem misisse, videlicet: *ut integrum componatur de Capitulis, quibus ad ea dubietas vertebatur.* Sed ignoramus, quæ difficultas provocerit, ut minime soperiret hancen ea, quæ videntur esse levissima. Epistolam concludens, ait: *Modis omnibus festinare dignemini.* Hormisdas rebus accurate perpenitus, die decimæ 26. Martii, anno 521. tres epistolæ subsignavit, quarum unam & alteram ad Imperatorem, tertiam ad Epiphanium Patriarcham perscripsit. Quæ dubio procul ad novum Consulem Justinianum datae erant, literæ intercederunt. Prior ad Justinum epistola est 78. in qua de nominibus Episcoporum in Diptychis recitandis agit. In editis ejusdem

exem-

exemplaribus lacuna appetet: *Et praoptabile.... pateretur.... mortuis, quam inbarere cum vivis.* In Codice Vaticano 4961, ex quo Hormisdæ epistola primum exscriptæ sunt, legitur: *& praoptabi.... pateretur so.... unde sic explenda est: & praoptabili esse putetur sociari cum mortuis, quam inbarere cum vivis.* Plures enim Ecclesiæ Orientis malebant defunctorum nomina recitare, quam recenseri in communione cum Romana Ecclesiâ. In alterâ epist. 79, laudat Imperatorem, quod voluerit, ut aliquorum, inquit, precies perferenda ad humilitatis mea notitiam jungentur, quibus vel quid questionis oritur agnoscere; vel ad summovendum propositæ consultationis ambiguum, responsum à me religiose scientia convicens redderetur. In illis autem precibus continebatur professio fidei Orientalium cum ter insertâ propositione de uno ex Trinitate, ut modò insinuabam. Enim verò Pontifex ibidem tradit hæreses Nestorii atque Eutychetis contrariis quidem erroribus, sed pari impietate contextas, à Synodis tam validè confutatas, ut nil efficacius adversus easdem à quoquam adduci posse videbatur. Revolvenda esse Synodica decreta ac Sancti Leonis Magni epistolas; ac dein ait: *Quid ergo post illum fontem fidelium statutorum, qui amplius (si tamen fidei terminum servat) quamlibet curiosus scrutator inquirat, aut opere, aut institutione perfectius? nisi forte maxuli quisquam dubitare, quam credere: certare, quam nosse: Sequi dubia, quam servare decreta.* Quibus verbis sententiam ab ipsis Legatis antè biennium de Monachorum propositione prolatam, confirmavit; nempe sufficere Synodus Calchedonensem ac S. Leonis epistolas, nihilve insuper novi asserti adiciendum. Postea rationem adducens, cur minus sibi probaretur nova illa loquendi formula, *Unus è Trinitate, quam tamen non recitat, hoc ait: Nam si Trinitas Deus, hoc est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, Deus autem unus, specialiter Legislator dicente: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est, qui aliter habet, necesse est, aut divisionem in multa dividat, aut specialiter passionem ipsi essentiæ Trinitatis impingat, & (quod absit à fideliū mentibus) hoc est, aut plures Deos more profano gentilitatis inducere, aut sensibilem pœnam ad eam naturam, quæ alicui est ab omni passione, transference.* Unum est sancta Trinitas: non multiplicatur numero, non crescit augmento; nec potest aut intelligenti comprehendendi, aut hoc quod Deus est, discrezione fessungi. Ad hæc, adorandam Trinitatem, ubi & si admittit numerum ratio personarum, unitas tamen non admittit essentiæ separationem. Gabriel Vasquez in 3. par. S. Thomas Disp. 15. cap. 3. num. 51. eruditè expendit adductum ab Hormisdæ argumentum, qui cum vocem *Unus* substantialiter accipiat, optimè eo sensu rationatur. At qui thessem famolam propugnabant, vocem *Unus* personaliter intelligebant; unde licet illa ratio contra Eutychianos validissima censetur, Monachorum Scytharum ac Justiniani sententiam ne leviter quidem perstringit. Vis ergo argumenti recitati in hoc reponitur; quia si *unus* ex Trinitate est passus, aut hic est unus Deus idem cum Patre ac Spiritu sancto, aut unus Deus ab utroque distinctus. Si hoc alterum dicatur; ergo divinitas in plures Deos dividitur. Sin autem primum admittatur; inferitur absurdum ab Hormisdæ objectum, videlicet ipsam divinam essentiam, quæ est idem cum suo concreto Deus, passam esse, ac proinde etiam Patrem ac Spiritum sanctum, qui sunt idem unus Deus cum Filio, passos dicendos est. Dionysius Exiguus in

præfatione ad Epistolam S. Procli, scribit quosdam suâ ætate negasse Christum unum esse ex Trinitate, ne divisionem Trinitati viderentur inferre. Maxentius in professione fidei hæc ait: *Quod si Deum ex Deo dicere divisionem non facit divinitatis, presertim cum una sit divinitas Trinitatis, multò magis unum ex Trinitate dicere, divisionem non facit Trinitatis.* Quidam non secundam id quod unus est Deus, & una divinitas Trinitatis, sed secundam id quod tres sunt, id est, Pater, Christus, & Spiritus sanctus unus Deus, Christus dicitur unus de Trinitate, qui pro nobis passus est carne. Itaque juxta Maxentium Christus est unus ex Trinitate, ut Unus intelligatur notionaliter, non verò substantialiter. Fulgentius in libro de Trinitate ad Felicem cap. 2. scribit: *Quamvis enim dicamus Patrem Deum, Filium Deum, Spiritum sanctum Deum, tamen non dicimus tres Deos; quia scriptum est: Audi Israel Dominus Deus tuus unus est: Unus est igitur Deus in naturâ, non in persona, quia alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti. In persona enim, sive in tribus subsistentibus reperitur unus & alius: alter & alter; utrū cap. 6. monstratum est. Dum dicitur: Deus tuus unus est, in recto una ipsa divina essentia appellatur. At dum adstruitur unus è Trinitate Christus, vox *Unus* in recto significat ipsam met personam Filii. Cum Joannes II. in Epist. 3. ad Senatores tanquam fidei dogma definierit, credendum esse: *Unum de sanctâ Trinitate Christum esse, hoc est, unum de tribus sanctâ Trinitatis personis, sanctum esse personam, vocem *Unum* notionaliter accepit, cum disertè docuerit, unum ex Trinitate significare unam personam sanctissimam Trinitatis.* Quare quilibet unus de Trinitate, est unus subsistens in Trinitate, quia, ut docet S. Thomas 1. par. quæst. 29. art. 3. Persona significat id quod perfectissimum est in totâ naturâ, scilicet subsistens in naturâ rationali; ex quo colligit persona nomen rectè attribui Trinitati. Qui thessem illam impugnabant, ea statim interrogatione instabant: *Qui unus?* Nonnullis est voluntatioris hærebant aqua. At uno verbo difficultatem Augustinus infregit: *Unus Trium.* At illi alii rursus interrogatione premebant, *Qui tres?* Idem S. Augustinus lib. 5. de Trin. cap. 10. Tamen, inquit, cum queritur, *Quid tres?* Magnâ prorsus inopâ humanum laborat eloquum. Dictum est tamen, *Tres personæ, non ut illud diceretur, sed ne taceretur.* Respondebat Rusticus Diaconus in libro contrâ Acephalos: *Interrogati, Qui tres? ambigimus respondere personæ, propter indecentem sermonum compositionem: personæ enim masculinum genere non effteruntur à Latinis. Nostri Theologi facilè respondent, tres subsistentes.* Præterea vocem *Unus* ullo absque addito, personaliter intelligendam esse, ex hac propositione innotevit: *Pater & Filius sunt unus, quia Sabellianam hæresim continet.* Catholicè autem dices, sunt unus. Hinc Ferrandus Diaconus in Epistola ad Anatolium capite 15. ait: *Potest quidem Unus etiam substantiam significare; sed se addas substantia proprium manifestumque vocabulum, sicut quando dicas: Trinitas unus, & continuo subinversi, Deus. Alioquin tolle nomen, quod adjungis, ubi substantia significatur, & dic, si audes: Pater & Filius & Spiritus sanctus unus sunt.* Quid enim non continuè unus sunt, secundum personam dictum consequenter intelligat; & Sabellii redarguat vanitatem? Plura hac de re tradit Rusticus in laudato libro contrâ Acephalos; unum ex pluribus testimonium appellabo: *Pater igitur, inquit, & Filius, & Spiritus sanctus unus quidem sunt, quia una**

una eorum natura est; unus autem non sunt, quia tres personae sunt. Recte igitur concludit citato loco Ferrandus: *Vides ergo quia propriè unus ad personam pertinet significandam; quamvis adjuncto sibi cuiuslibet substantiae vocabulo, possit etiam substantiam significare. Simpliciter ergo audiamus, unum de Trinitate passum, id est, unam personam ex tribus personis.* Est phrasis Augustiniana; siquidem S. Doctor lib. 3. contra Maximinum cap. 22. ait: *Sic & de Patre & Filio, unum sunt, dicimus, quia unius substantiae duo sunt; &, unus est, dicimus, sed addimus, quid unus, id est, unus Deus, unus Dominus &c.* Itaque vox *Unus* sine addito, personam in divinis significat.

Dioscorus in suggestione ad Hormisdam Monachorum thesim redargens ait: *Quia quotiescumque Patres de D. N. Iesu Christo disputaverunt, Filium Dei Verbum Homousion Patri dixerunt; contendens ex illâ propositione poni divisionem in Trinitate, quia omnis numerus divisionem importat; unde ex illo effato Homousion dividetur.* Augustinus lib. cit. contra Maximinum cap. 14. ait: *Quid est enim Homousion, nisi unius ejusdemque substantia?* *Quid est, inquam, Homousion, nisi: Ego & Pater unus sumus.* At unus sine addito vocabulo essentiam vel aliquod absolum seu esse entiale denotante, personam in divinis designat; cum autem sint tres personae, numerum admittunt, non qualem in quantitate distinguimus, ex quo resultat compositio, vel aggregatio ex pluribus per modum totius & partis; sed ille numerus realitatem tantum relativam multiplicat, ut explicat S. Thomas 1. par. quæst. 30. art. 3. Dicitur ergo Christus unus ex Trinitate, & non dividitur Homousion, quia non secundum id, quo est unus, id est, ejusdem essentia cum Patre, numeratur, sed quatenus est unus secundum propriam subsistentiam relativam, quâ constituitur alias à Patre, uti jam diximus.

Hormisdas eadem die rescriptit etiam Epiphanio Patriarcha Epist. 80. quæ inserta etiam legitur A&V. Synodi C.P. sub Mennâ. Narrat se accepisse libellum professionis fidei Hierosolymitanorum sibi ab Imperatore transmissum. Nihil inquit adiiciendum definiti à Patribus, ac præsertim à Synodo Calchedonensi, à quâ heres Nestoriana & Eutychiana oppressa sunt. Additque: *Hec si quemadmodum à Patribus constituta sunt, servant: credant, nec definita transcendent: à quo tramite qui declinant, ipse sibi nebulam dubitationis offundunt.* Nobis autem illud Apostolicum contentiosis respondere necesse est: Nos hanc consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei &c. Et quia de Hierosolymitanorum propositione respondimus &c. Infinuat se ea de propositione: *Christus est unus è Trinitate, toties à Hierosolymitanis inculcatà, prolixius ad Imperatorem scripsisse.* Ex his patet Hormisdas in eadem sententiâ sterisse, nec unquam tot Justiniani literis inde dimoveri potuisse. Cum enim instarent, ut thesis de uno ex Trinitate, quæ ter in laudata professione fidei legebatur, ab Apostolica Sede approbaretur, Pontifex contentiosis illam Apostoli ad Corinthios sententiam reposuit. Non haereticos, non schismaticos, sed contentiosos dixit, quod tot dissidia ac lites pro vocum novitate inculcanda, Catholico passim Orbe disseminassent. Incompetum est, quid insuper auctum fuerit eo bie nno, quo postea Hormisdas fuit superstes, cum illius biennii nullas laudati Pontificis literas habemus reliquas. Ita propositio de uno ex Trinitate car ne passo, inter adiaphoras relitta, toto decennio ab

obitu Hormisdæ, in utr quo partem inter Catholicos disputata fuit, quo usque eandem Apostolica Sedes inter fidei dogmata recensendam postea decrevit.

## C A P U T IX.

Ferrandus Diaconus Carthaginensis laudatur. Rogatus à Severo, suspenso calamo scribit in controversiâ de uno ex Trinitate. Insignia ejusdem pro autoritate Romana Sedi supra Ecumenica Concilia testimonia. Idem postea in Epistola ad Anatolium Monachorum Scytharum capitula solidis argumentis comprobat, & oppositas obiectiones doctissime refutat.

C Um disputationis ardor neutiquam deservesceret, Anatolius Romanæ Ecclesiæ Diaconus, quem in literis Vigilius Pontifex laudat, dubius in quam partem descenderet, eâ de quæstione sententiam Ferrandum Diaconum Carthaginem per literas rogavit, quod ipsum pariter praefitit Severus, qui Constantinopoli Advocatum forensem agebat. Ferrandus Africanos Episcopos in Sardiniam Thrasamundi Regis jussu deportatos, secutus, in cœnobio ab exultante ibidem S. Fulgentio Episcopo Ru spensi constructo, Monachum induerat. Hilderico mitissimo Rege anno 523. Episcopos ab exilio revocante, unâ cum Fulgentio in Africam reversus, à Bonifacio Archiepiscopo Carthaginensis Ecclesiæ ob eximiam morum ac doctrinæ excellentiam Diaconus inaugurus, omnium sermone ubique celebrabatur. Ille S. Augustini præ ceteris libros diurnâ nocturnâ que manu versabat, quod illi laudi datum à præceptore Fulgentio in libro de quinque Quæstionibus eidem inscripto; etenim cap. 13. post recitatas quasdam Augustini sententias, sufficere eas inquit, præsertim ingenio atque studio tuo, quo ejus dicta sic acutissime ac frequentissime legis, ut in eis plurima possis similia reperire. Tantum autem ubique doctrinæ famam sibi comparaverat, ut ejus sententiam Viri insignes in rebus difficultioribus exquirerent, ut idem ipse in gravioribus controversiis S. Fulgentium consulens, quo doctorem eâ tempestate Africa habuit neminem. Cum dissidia de uno ex Trinitate summâ animorum contentione agitarentur, Ferrandus duplicitis inde exortæ quæstionis solutionem à Fulgentio petiit, quem uti magistrum semper excoluit. Nam plerique propositionem de Christo uno ex Trinitate aversabantur, tûm ne divisionem ac separationem personarum à divina natura in mysterio sanctissimæ Trinitatis inducere viderentur; tûm etiam ne concedentes unum è Trinitate passum, ipsam quoque divinitatem passam dicere cogerentur, ut in superioribus non semel adverti. Extat cum Ferrandi Epistola, liber eidem à S. Fulgentio remisus, cum titulo de quinque quæstionibus, quarum prior est: *Utrum Trinitas inseparabilis propter unam eandemque naturam, etiam in personis sit omnino inseparabilis prædicanda.* Altera vero quæstio erat: *Utrum Deus Dei Filius sicut dicitur natus, passus, mortuus, crucifixus, ita ejus divinitatem confirmare nos oporteat natam, passam, mortuam, crucifixam: quamvis sive Deus sive divinitas nominetur, sola caro intelligatur mutabilis atque passibilis &c.* Utranque sibi propositam difficultatem, Fulgentius duobus ac viginti capitibus discutit, ac duobus præsertim postremis totam perrumput, appellatis luculentis ac splendidis S. Augustini testimoniosis.

Cum Severus apud Constantinopolim degens,  
M. Ferran-

Ferrandi doctrinæ famâ motus, in magnâ controver-  
siâ de uno ex Trinitate, ejusdem sententiam per li-  
teras petrogasset, Ferrandus doctissimam Epistolam  
remisit, cuius est exordium: *Magnorum Virorum mi-  
hi negotium conari adiungere, proprie eos, qui Deum  
nostrum Jesum negant unum esse de sanctâ & individuâ  
Trinitate, quid sentiam deletatus audire.* Ex his cap.  
4. ostendi eam hunc quæstionem principalem, quæ  
id temporis eruditos contrarias in partes distractis;  
cum illa altera de uno ex Trinitate carne passo, occa-  
sione illius prioris eruperit. Quod vero erat modesti-  
us ingenii, ac de semet humiliter sentiens, scriptis  
se malle discere, quam alios docere. Interroga igi-  
tus, inquit, *Vir prudentissime, si quid veritatis cupis  
audire, principaliter Apostolicæ Sedi Antistitem:* eu-  
jusmodi doctrina constat iudicio veritatis, & fulcitur  
numinime veritatis. Quippe sciebat Apostolicæ Se-  
dis infallibiliter in definitiis controversiis de rebus  
ad fidem spectantibus auctoritatem. Hinc in altera  
Epistolâ ad Romanæ Ecclesiæ Diaconos, Pelagiuni,  
qui postea Summus Pontifex fuit, & Anatolium cap.  
7. scribit: *Universalia Concilia, præcipue illa quibus  
Ecclesia Romana consensus accessit, secunda auctoritatis  
locum post canonicos libros tenent.* Et cap. 9. loquens  
de statutis publicatis à Synodus universalibus: *Suffi-  
cere enim, inquit, judicatur ad plenam confirmationem,*  
*si perducta in notitiam totius Ecclesiæ, nullum offendicu-  
lum movent, vel scandalum fratribus, sed Apostoli-  
ca fidei convenire firmantur, Apostolicæ Sedi's roborata  
consensu.* Quibus manifeste tradit Concilia univer-  
salia secundum auctoritatis locum post canonicos li-  
bros ex accidente Apostolicæ Romanae Sedis consen-  
su obtinere, ut suprema in definitiendo auctoritas at-  
que infallibilitas ex Apostolicâ Sede derivet, atque  
in ea sola residat. Ibidem cap. 6. scribit, si quis-  
piam a judicatis in Synodo Calchedonensi, tunc ad  
majora judicia provocaret: *Appellationi forsitan se-  
cundum consuetudinem locus pateret; sed quo iure? aut  
ubi maiores reperirent in Ecclesiâ judices? ante se habens  
in Legatis suis Apostolicam Sедem, quâ consentiente,*  
*quicquid illa definivit Synodus, accepit robur invictum.*  
Nempè à Synodo Calchedonensi nullus poterat ap-  
pellare, quia Apostolicæ Sedes, ad quam solum ab  
Synodo potest provocari, per suos Legatos. Syno-  
dalibus decretis consenserat, quo plane consensu Sy-  
nodus invictum robur accepisse Ferrando dicitur,  
ut sine eodem magnam quidem auctoritatem alias  
habuisse, at non invictam, à quâ non potuisse appellari. Hec cum in extimam Ferrandi laudem ve-  
niant, ac ad Anonymi accusationem mihi inferius  
refellendam plurimum conduceant, consulte ince-  
renda putavi. Jam verò Ferrandus in laudâ Epis-  
tolâ suspenso calamo scribit, utranque sententiam  
potius componens, quam alterutram dannans. In  
cap. 9. ait: *Videndum potius reor, & considerandum  
diligenter, cur Dominus Jesus Christus unus de sanctâ  
& individuâ Trinitate nimis cautus à quibusdam nige-  
ritur.* Et recitatis tribus difficultatibus, quæ contra  
thesum illam vulgo proponebantur, ait: *Ceterum  
ego nec voluntibus, nec nolentibus dicere conradixi,  
quia nihil à me certum posse definiri, in hujus Epistolæ  
capite jam predixi.* Denique notanda sunt qua pro-  
pè suam scribit: *Unde, inquit, desiderandum à con-  
tentib[us] reor; expectandum potius persuadens, pati-  
cioriterque hanc dubitationem ferendam, donec univer-  
salis Ecclesiæ auctoritate, vel prouinctur suscipien-  
da, vel prædatatur abiencia.* Annus, quo laudata  
Epistola scripta est, ignoratur. At cum Episcopi

Africani A. 523. ab exilio Carthaginem redierint,  
post obitum Hormisdæ ea Epistola scripta apparebat,  
Ferrando jam tum Diacono Carthaginensis Eccle-  
siæ. Itaque constat Hormisdam nihil eâ in contro-  
versiâ definiuisse, unde ea propositio de Christo uno  
ex Trinitate à Ferrando Hormisdæ similiter, sub  
lite dimissa est, quam dijudicare principaliter Apo-  
stolicæ Sedi Antistitem debeat.

Enimvero cum eadem quæstio post Hormisdæ  
mortem litigiosas inter doctos disputationes Romæ  
subinde excitaret, Anatolius Romane Ecclesiæ Dia-  
conus eâ de controversiâ Ferrandum consuluit, qui  
prolixam Epistolam rescribens, universam quæstio-  
nem summâ eruditione penitus prosligavit, præci-  
pue disceptans quod veluti absurdum de uno ex Tri-  
nitate carne passo principali propositioni validiori  
impetu objiciebat: quodve etiam graviorem Ara-  
tolio dubitationem afferebat, ac proinde de illâ so-  
lummodo consultabat. Idem etiam alteram quæstio-  
nem solvendam proposuit, nempè num beata Virgo  
verè ac propriè Dei genitrix dici posset, quod fuerat  
alterum Monachorum Scytharum capitulum, ut  
cap. 3. ostendi, de quo etiam diutius in Oriente in-  
ter Catholicos disceptatum fuit, ut ex Facundo Her-  
mianensi prenotavi.

Ferrandus in priori parte Epistolæ duplicum in  
Christo naturam credendam esse demonstrat. De-  
inde cap. 8. scribit: *Deus homo factus naturam sibi adu-  
nxit humanam, sed in unitatem personæ, quam non  
babet cum Patre communem; non in unitatem substantiæ,  
quam habet cum Patre communem.* Ideo non Trinitas,  
sed tantummodo Filius & natus & passus est. Alia est  
natura, secundum quam passus est Filius, sed quia unam  
fecit esse personam sue divinitatis & carnis; propriè ani-  
matem personæ divinitas Filii dicitur passa quidquid per-  
tulit caro. Hæc ille didicerat ex Augustino, qui ante-  
quam hæreses Nestorianæ & Eutychianæ orientur,  
lib. 3. contrâ Maximinum Arianorum Episcopum  
cap. 8. scriperat: *Ac per hoc propter istam unitatem  
persona in utraque naturâ intelligendam, & Filius ho-  
minis dicitur descendens de cælis, quamvis sit ex eâ, que  
fuerat in terra, Virgine assumptus: & Filius Dei dicitur  
crucifixus, mortuus, & sepultus, quamvis hec non  
in divinitate ipsâ, quâ est unigenitus Pater coaternus, sed  
in natura humana sit inseparabile perpetuus.* Et paulò  
post: *Hanc unitatem persona Christi Iesu Domini nostri sic  
ex naturâ utraque constantem, divinâ scilicet & huma-  
nâ, ut qualibet earum vocabulum etiam altri imperti-  
at, & divina humana, & humana divina, beatus*  
ostendit Apostolus &c. Ubi communicationem idio-  
matum Theologis postea familiarem, verbis ipsis  
summus Ecclesiæ Magister prædocuit. Cum autem  
Ferrandus optimè intellegaret thesim de uno ex Tri-  
nitate passo, dependere à principali propositione de  
Christo uno ex Trinitate, hanc ipsam cap. 11. præ-  
validâ ratiocinatione confirmans, ait quamlibet rega  
aut Deum esse, aut creaturam: Deum esse in unius es-  
sentiæ Trinitate, nempè esse aut Patrem, aut Filium,  
aut Spiritum sanctum: *Et quia, inquit, neque Pater so-  
lus, neque solus Filius, neque solus Spiritus sanctus Tri-  
nitas est, sed simul Pater, Filius, & Spiritus sanctus: &*  
*Pater unus est de Trinitate, & Filius unus est de Trinitate,  
& Spiritus sanctus unus est de Trinitate.* Quid ergo  
dicit, quicunque dicit: Unus est Trinitate Filius, nisi:  
Noli eum querere inter creaturas; ac statim ex hac do-  
ctrinâ utramque, quæ in dubio versabatur, proposi-  
tionem necessariâ consecutione deducit: *Filius ergo se-  
cundum divinitatem, quia non est creatura, sed Creator,*  
UNUS

# De uno ex Trinitate passo.

131

UNUS EST DE TRINITATE; & quia ipse secundum humanitatem dignatus est pati, propter hoc UNUS DE TRINITATE dicitur PASSUS; ut nihil aut clarius, aut solidius, aut distinctius, ad utramque propositionem corroborandam, asserri posse videatur. Plura ejusdem præclarissimi Scriptoris testimonia in hac Dissertatione laudavi, quæ haud vacat repetere; quedam tamen speciatum observanda, notabo.

Quidam thesim de uno ex Trinitate passo, ullo si nè addito adstruebant, cum alii, carne passo, dicendum contenderent. Legati Pontificis Hormisdæ scribunt Monachos Scythas asserere, unum de Trinitate crucifixum, quod etiam testatur Trifolius initio Epistolæ ad Faustum Senatorem: qui tamen in fine earundem literarum ait: *Quid est dicere, unum de Trinitate passum, nisi ostendere & alterum de Trinitate impassibilem, sicut Arius?* Aut quid est dicere, unum de Trinitate passum carne, nisi ostendere & alterum impassibilem, sicut Nestorius? Quare ea propositione vel cum addito vocabulo carnis, vel eadem carne tacite subintellecta, nec verbo expressa, defendebatur. Monachi scribunt in suis Capitulis semel & iterum unum è Trinitate Christum passum carne. Maxentius in professione fidei ait: *Christus dicitur unus de Trinitate, qui pro nobis passus est carne.* Et rursus: *passus est carne pro nobis.* Ferrandus cap. 11. recte monet utroque modo à Catholicis thesim illam citrè reprehensionem posse affirmari, cum passim dicant: *Deus est passus, finè voce carnis expressa, sed tacite tantùm intellecta,* ita ut Catholici, inquit, *quamvis adserens unum de Trinitate passum, non adiiciam, secundum carnem, ipsi tamen recte dicatum, quasi hoc adiecerim, sentiant.* Et cap. 14. ait: *Sed propter istos ista dixi, qui nunc audientes, unum de Trinitate passum, dicunt: addo secundum carnem; quasi aliter intelligi debeat, etiam ego non addam.* Egregia ad hoc persuadendum testimonia ex Apostolo appellat cap. 14. quorum unum ex Act. Apost. cap. 10. ubi dicitur Spiritus sanctus constituisse Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam adquisivit sanguine suo. Tum in speciem dubitabundus Apostolum interrogat, cur non diceses quomodo habeat sanguinem Deus, & adderes secundum carnem; ns quis putet, quia etiam divinitas habere, aut effundere sanguinem potest. Scio quid huic percontacioni Vas electionis sind mora respondeat. *Nostri, & Fili, predicationem meam; quare dubiam putasti sententiam meam?* Cum autem Catholici duas in Christo naturas inconfuse, incommutabiliter, indissolubiliter, inseparabiliter, ut loquitur Maxentius in libello fidei, confiterentur, tantum abest, ut dicentes, unum è Trinitate passum, nec addentes secundum carnem, ipsam Verbi divini essentiam in seipsa passam asseruerint, ut suspicari hoc, inquit cap. 16. malitia potius quam cautela sit. Etenim Catholici non asserabant, unum è Trinitate passum, ut humanitatem ab eodem secluderent, sed unum è Trinitate incarnatum, eundem postea passum prædicabant. Sanctus Proclus apud Maxentium citato loco, ait: *Si autem quod incarnatum est, crucifixum est, Pater autem & Spiritus non est crucifixus, unus ergo de Trinitate est crucifixus.* In Symbolo Niceno dicitur unigenitus Filius Dei de cœlis descendisse: *Et incarnatus est, & homo factus, passus est.* At Augustinus laudato superius capite lib. i. contra Maximinum ait: *Unigenitum vero Filium Dei crucifixum & sepultum, omnes etiam in Symbolo confitemur; ubi vocem incarnatum omittit, quam tamen om-*

nes licet tacitam, subintelligimus. Theodorus Mopsuestenus ac Nestorius duas in Christo personas adstruentes, dicebanteum qui passus est, fuisse alterum à Filio Dei, qui non est passus. Hæc Theodori verba ex ejusdem libro ad Catechumenos recitantur in Collat. 5. Synodi V. & in Constituto Vigilii Papæ, utrobique numero XXXVIII. *Quæ Deitas separata quidem erat ab eo, qui passus est; nempe inquit Pontifex, quia a divina natura separata, ipse per se, vel ut puer homo pro omnium utilitate gustaverit mortem; quam hæreticam sententiam ibidem condemnat.* Ferrandus cap. 10. tradit Theodori errorem illo enuntiato de uno ex Trinitate passo confutari: *Nihil quippe aliud sententia hæc insinuare cognoscitur, nisi ipsum passum esse in carne, qui de Patre Deo natus est, id est, Christum, ne putetur homo purus tolerasse passionis injurias.* Hoc ergo dicit, qui unum de Trinitate passum dicit: *Non est quarta persona, qui passus est, sed ad numerum pertinet Trinitatis &c.*

Idem toto cap. 17. probat B. Virginem esse veræ & propriæ Dei genitricem, quod erat alterum capitulum priori ac principali de Christo uno ex Trinitate consentaneum ac consequens, quod utrumque adversus Nestorianos Catholici propugnabant. Nulla chronologica nota in laudata hac tempore epistola apparet, ex qua annus, quo scripta fuerit, innoteat. Arbitrio tamen exaratam fuisse priusquam anno 535. Joannes II. Apostolico decreto diuturnioribus illis controversis siue imposuit. Nam neque de propositionibus à summo Pontifice in fidei dogmata adscriptis, Anatolius Romana Ecclesiæ Diaconus veluti de rebus dubiis cum Ferrando consultasset; neque hic rescribens Pontificiam sanctionem, quæ nullum deinceps dubitationi locum dabat, silentio prætermisset.

## C A P U T X.

Imperator Justinianus thesim de uno ex Trinitate per Legatos Joanni II. Pontifici approbadam proponit. Accemetarum Legati contradicunt. Imperator thesim laudatam editio asserendam inculcat. Joannes Pontifex editum ac famosam propositionem Synodali sententiâ confirmat. Accemetarum Legatos communione Ecclesiasticâ privat. Justinianus thesim de uno ex Trinitate Codici juris inserit. De Epistolis Joannis Papæ, & Epiphani Patriarchæ ibidem insertis, quedam subnotantur. Sanctus Agapetus Papa eandem propositionem confirmat. Varii errores in editis Agapeti, ac Justiniani subsignationibus Epistolarum ex insigni Codice Vaticano emendati. Zelus Justiniani in laudata propositione defendendâ. Eam approbat Vigilius Papæ in Constituto. Synodus v. Monachorum Scytharum capitula in fidei cauones refert.

Justinianus anno 527. Kalendis Aprilis à Justino Augusto collega imperii creatus, quartò postea mense, ipsi Kalendis Augusti seniori Imperatore demortuo, Romanum imperium solus deinceps administravit. Jam controversia de uno ex Trinitate deserbuerat, ac quæ olim Monachorum Scytharum sententia fuerat, omnium ferè animos occupaverat, paucis quibusdam eisdem refragantibus, quos inter præcipui habebantur Monachi Accemetæ. Justinianus, qui tot ad Hormisdam pro famosâ propositione toties mihi memoratâ, Epistolas nequicquam scriperat, omni conatu ejusdem definitionem apud Apostolicam Sedem promoturus, insignem obcam rem legationem ad Joannem II. cognomento

M 2 Mercu-

Mercurium destinavit. Legati fuerunt Hypatius Ephesinae Ecclesiae Metropolita, & Demetrius Episcopus Cæsareæ, quos cum literis Romanis ad Pontificem misit. Initium Epistolæ est: *Reddentes honorem &c.* Tots in eâ Epistolâ laudatae thesi inculcande incumbit: *Recusantes, inquit, Dominum nostrum Iesum Christum unigenitum filium Dei & Dominum nostrum fateri unum esse sanctam & consubstantialis Trinitatis, videntur Nestorii malam sequi doctrinam, secundam gratiam dicentis unum Filium Dei, & alium dicentis Dei Verbum, & alium Christum.* Addit, omnes Sacerdotes sanctæ Catholicae & Apostolicae Ecclesiæ, & reverendissimos Archimandritas &c. uno consensu confiteri Verbum ex B. Virgine natum, & hominem factum, & crucifixum, unum esse sanctam, & consubstantialis Trinitatis &c. cuius duas in una hypostasi naturas profitetur; *Ideò, inquit, & sanctam & gloriosam virginem Mariam propriè & verè Dei matrem esse dicimus.* Denique ait se quatuor Ocumennicas Synodos venerari; rogatque, ut proposita capitula defendentes in communione habeat, ab eadem verò iisdem adversantes, removeat. In veto-  
sto Codice Vaticano num. 4961. pag. 46. Epistola dicitur: *Data VIII. Idum Juniarum, Constantinopoli, Justiniano perpetuo Augusto III. Consule, id est, anno 533.* Exstat ejusdem ferè exempli Epistola Justiniani ad Epiphanium Patriarcham; in qua utraque propositio iisdem periodis circumtexta legitur; ac laudatis tribus Synodis generalibus, huc scribuntur: *Calchedonense verò sanctum Concilium magni Proeli ad Armenios scriptam Epistolam, quod oporteat conscribi D. N. Iesum Christum filium Dei & Deum nostrum unum sanctam Trinitatis, per propriam relationem suscepit, & confirmavit.* Signatur data VII. Kal. Aprilis Justiniano Augusto III. Consule. Cùm verò in hac ad Epiphanium Epistolâ appelletur altera prius missa ad Joannem Pontificem, ad quem, inquit, similia perscripsimus, utri error in nota chronologica subsit, aliis disquirendum dimitto.

Accemetæ Monachi decretæ Legationis certiores facti, duos è syncellitis Cyrum ac Eulogium Romanum statim legaverunt, ut apud Apostolicam Secdem Legatorum Justiniani operam interverterent, neve permetterent thesim illam approbari, quam Hormisdas tot dudum literis rogatus, Apostolicā auctoritate conserere constantissime recusaverat. Auctor Chronicæ Alexandrinæ narrat Justinianum die 20. Novembri Indictione XII. quæ inierat Kal. Septembri anno 533. editum de fide publicasse, quod Romanum, inquit, misit, & Hierosolymam, & Antiochiam, &c. quod ibidem etiam recitat. In eo autem Nestorii & Eutychetis hæreses condemnantur, atque ex Henotico Zenonis hæc exscripta leguntur: *Trinitas enim manst̄ Trinitas, etiam incarnato uno ex Trinitate Deo Verbo.* Item damnantur, qui negant propriè & secundam veritatem sanctam & gloriosam Mariam esse Deiparam, hoc est, Dei matrem: & qui non consententur Iesum Christum Filium Dei & Deum nostrum incarnatum, & hominem factum, & crucifixum, unum esse ex consubstantiali Trinitate. Hoc editum initio lib. I. Cod. tit. de summa Trinit. edit. Contii, signatur: *Datum Idibus Martii C-P. Justiniano perpetuo Aug. III. Cons. Anno 533.* Num hæ subsignatio ficta? an in octauum mensem dilata editi publicatio? De hoc edito idem postea Justinianus ad Agapetum Papam scripsit: *Autem tempus in hac regia urbe nostra ignorundam de causa fidei extitit morosa contentio: quam nos congrue re-*

*sponentes, interposito editio repressimus.* Cùm Legati Justiniani Romam advenissent, literas Imperatoris Joatini Papæ tradiderunt; quem etiam postea publicati à Principe editi certiorē facientes, ejusdem confirmationem impetrarunt, ut ex Epistolâ Pontificis ad eundem Justinianum perspicue intelligimus. Etenim idem scribit, se honorificè exce-  
pisse Demetrium ac Hypatium legatos imperiales apices deferentes: *Quorum etiam induit, relatione cooperinus, quod fidelibus populis proposuitis editum amore fidei pro submovendâ hereticorum contentione, secundum Apostolicam doctrinam fratrum & Coepiscoporum nostrorum interveniente consensu: quod quia Apostolica doctrina convenit, nostrâ auctoritate confirmamus.* Deinde laudans Justinianum, qui Nestorii ac Eutychetis, & omnium hæreticorum impie-  
tatem damnaret, ac veram fidem à Romanis Präsum-  
bus hacten prædicatam, ac custoditam ample-  
xaretur, Cyrum ac collegas Accemetas Monachos contrarias opiniones afferentes minime in nostrâ, in-  
quit, communione receperimus, & ab omni Ecclesiâ Ca-  
tholica eße justissimus alienos: nisi errore damnato, doctri-  
nam nostram quantocunq; sequi habitâ regulari professio-  
ne, signaverint. Data dicitur Epistola VIII. Kal. Aprilis, Justiniano IV. & Paulino Coss. nempe anno 534. Alteram quoque Epistolam Pontifex misit ad Senatores, quorum aliqui, uti Opilio, Cassiodorus vulgo Senator, & Clementinus consulatu ordinario functi fuerant. Initio veò literarum ait: *Poſtquam Epistola vel dogmatiſ tenorem cuncta Ecclesiæ, hoc eſt, Sacerdotum Senatus, & populi probavit aſſensu.* Ex quo recte scribunt, bina ibidem dogmata confirmata, in coactâ prius à Joanne Synodo comprobata fuisse; quod testatur etiam Justinianus in Epistolâ ad Aga-  
petum, ut proximè ostendo. Deinde significat Se-  
natoribus, tres hasce sibi quæſtiones definiendas,  
fuisse à Justiniano propositas: *Utrum unus ex Trini-  
tate Christus & Deus noster dici possit, hoc eſt, una de  
tribus Personis sancta Trinitatis sancta persona. An  
Deus Christus carne pertulerit, impassibili Deitate. An  
propriè & veraciter mater Domini Dei nostri Maria ſem-  
per virgo debeat appellari.* Tunc Pontifex brevi ac di-  
lucidâ aſsertione tres illas quæſtiones tot annis inter  
Catholicos, ac diverso cum hæreticis sensu, con-  
troverſas, abs se in Synodo decisas significat, defi-  
niendo: *Unum ex sanctâ Trinitate Christum eſſe: Prä-  
terea: Deum carne paſſum;* Denique B. Virginem  
propriè & veraciter Dei genitricem ab hominibus Ca-  
tholiciſ recte conscribi. Singulas autem definitiones ap-  
pellatis ex libris S. Augustini testimoniiſ confirmat,  
hocce elogio praemissis: *Santus Augustinus, cuius  
doctrinam secundum precessorum meorum statuta, Ro-  
mana sequitur, & servat Ecclesia.* Quid verò illa prior quæſtio erat aliarum fons & origo, ejusdem solius iterum definitionem inculcans, ait: *Atque igitur  
Christum Dominum nostrum UNUM eſſe, ut sapientia diximus, SANCTÆ TRINITATIS ex duabus naturis co-  
gnoscendum &c.* Monachi Scytha palam accusabant tanquam Nestorianos, qui laudatae propositioni re-  
fragabantur, quamvis eam quoque hæretim falso iis  
impingerent, qui Christum unam sanctam Trinitatis personam fatebantur, nomine personæ non secundum dignitatem & auctoritatem, sed secundum unicam diuarum naturarum substantiam & hypostasim intel-  
lecto. At Joannes Pontifex Scythis quod Accemetas attinet, causam adjudicans, ait: *Accemetas vero,  
qui se Monachos dicunt, qui Nestoriani evidenter ap-  
paruerunt, Romana etiam eos dannat Ecclesia.* Horum  
etiam

etiam testis & quidem oculatus, venit Liberatus Diaconus Carthaginensis, qui Reparati Archiepiscopi apud Apostolicam sedem Legatum egit. Is enim cap. 20. Breviarii scribit Justinianum Hypatium ac Demetrium Episcopos Romanum Legatos ad Joannem Pontificem misse, ut consulerent Sedem Apostolicam contra Legatos Acumicorum Cyrus & Eulogium negantes esse confitendum beatam Mariam verè & propriè Dei genitricem, & unum de Trinitate incarnatum, & carne passum. Sed Papa Joannes, nobis ibi positis, hoc confitendum Epistolā suā firmavit, & Imperatori direxit. Hæc ille.

Justinianus ubi ex acceptis Joannis Pontificis literis intellexit, utramque propositionem in fidei dogmata Apostolica Sedis iudicio transcriptam fuisse, hoc ipso anno 534. die 29. Maii Codicem novis legibus ac constitutionibus auctum, iterum publicans, eidem sub titulo de summâ Trinitate & fide Catholica, scriptam abs se ad Epiphanius Patriarcham Epistolam publicæ vim legis perpetuâ habituram, inseruit. Hanc Græcâ contextam publicavit Contius in editione Codicis memorati; Latinè redditam, recitat Card. Baronius in magnis Annalibus ad annum 533. Nec hac de re sinit nos dubitare Facundus Episcopus Hermianensis, qui in Opere de tribus Capitulis ipsimet Imperatori Justiniano nuncupato, lib. 2. cap. 2. scribit: *Titulus autem, sub quo continetur, iste est: De summâ Trinitate &c.* Imp. Justinianus, Augustus, Epiphanius sanctissimo ac beatissimo Archiepiscopo regiae urbis hujus &c. Scire volentes tuam Sanctitatem &c. Eadem verò sancta Calchedonensis Synodus, & Magni Procli ad Armenios scriptam Epistolam de eo, quod oportet dicere, Dominum Iesum Christum Filium Dei, & Deum nostrum, unum sanctæ Trinitatis per suam relationem suscepit, & confirmavit &c. *Hæc in confirmationem predictæ allocutionis ex lege vestrâ protulisse sufficiat.* Quidam negant memoratas Justiniani literas ad Joannem II. cum hujus rescripto esse legitimas, cum in antiquis etiam exemplaribus MSS. Codicis Justiniane non reperiantur. Horum opinionem doctè refellit Baronius ad Annum 534. Attamen in antiquis Codicibus Palatinis in Bibliothecam Vaticanam translati, num. 757. 758. 759. 760. 761. 762. legendunt laudatæ literæ Justiniani, & Joannis Papæ Imperatoris Epistolam approbant. Cum ejusdem serè exempli sit utraque Epistola ad Joannem Pontificem, & Epiphanium Patriarcham, Justinianus priorem quoque Codici eo forsitan inferendam decrevit, quod sententia de Christo uno ex Trinitate, & altera de B. Virgine verè ac propriè Dei genitrici, additâ tam expressâ Apostolica Sedis approbatione, recipiebant robur invictum. At Græci iniquiori semper animo contrâ Latinos, omisssâ Epistolâ ad Romanum Pontificem, alteram ad Epiphanium solummodo in Codice retinuerunt. Quod verò famosa propositio omnium aures suavissimæ æquè ac religiosissimæ personaret, Justinianus eandem hymno abs se composto, inseruit; quem & Ecclesiis decantandum tradidit, ut scribit in Chronico Theophanes. Ereditissimus Jacobus Goat in notis observat, etiamnum incuné Missa sacrificio, à Græcis illum rhythmum hisco periodis expressum, cani: *Unigenitus Filius & Verbum Dei &c. homo factus, & Deus noster cruci affixus, morte mortem conculans, unus sanctæ Trinitatis (Græcè εις την αὐλαν Τεράσα) qui cum Patre & Spiritu sancto glorificatur nunc & semper, & in secula seculorum.*

Anno proximo 535. mense Aprili defuncto Joanne Pontifice, Agapetus eidem suffectus fuit, quocum egit Theodahatus Rex Gothorum, ut ad Imperatorem, pacis inquis etiam conditionibus impetrandas gratiâ, transmitteret. Nam Justinianus anno superiori, Vandalis devictis, eorumque rege Gelimer captio, Africam feliciter recuperaverat; eodemque victoria impetu Siciliâ in potestatem redactâ, exercitum in Italiam missurus dicebatur. Hoc anno die 5. Junii Epiphanius Patriarcha C-P. decessit, & Anthimus Episcopus Trapezuntis Eutychianæ heresos clancularius sectator, Theodoræ Augustæ operâ, Constantinopolitanam Sedem occupavit. Interè Agapetus à Romano Senatu exoratus, pro avertendo ab Italiâ bello, legatione susceptâ, Constantinopolim die 22. Februarii anno 536. pervenit. Ille verò non modò Anthimum ad colloquium, sed ne in conspectum quidem venire permisit; imò invasâ Sede dejectum, Catholicâ communione privavit, Mennâ eidem substituto. Exstat in Bibliothecâ Vaticanâ numero 4961. codex insignis, quem Marcellus II. Pontifex Maximus, cùm Eugubinam anteâ Ecclesiam administraret, à religiosis viris Monasterii Sancti Crucis fontis Avellanæ acceptum, Vaticanæ Bibliothecæ donavit. In eo Epistole 243. Pontificum Romanorum à Siricio usque ad Vigilium, ac quorundam etiam Imperatorum, Praefectorum Urbis, ac Præsidum, unâ cum gestis plerique Ecclesiasticis leguntur, quæ omnia præclarissima prioris ætatis monumenta in suos Annales à Cardinali Baronio relata, pretium iisdem si quæ alia, maximum addidere. Ex hoc Codice quædam, quæ ad nostrum argumentum faciunt, recitabo, ut errores, qui tūm in Annalibus, tūm etiam apud editores Conciliorum extant, emendem. In eo ergo Codice pag. 45. à tergo col. 1. legitur: *Exemplar libelli Mennæ Presbyteri ac Xenodochi, qui factus est Episcopus Constantinopolitanus sub die III. Idus Martias, iterum post consulatum Paulini junioris V.C. nempè anno 536.* quem ob nullum creatum in Occidente Consulem, à Paulino anni 534. Consule in Fastis Latini designarunt, ut patet ex auctario Consulari Canonis Pafchalis Victorii Aquitani. Porro dies 13. Martii anno 536. fuit Feria quinta, ex quo colligimus Græcos Episcopos solitos fuisse consecrari aliis etiam extrâ Dominicanum diebus; quod ipsum in Epiphanius etiam ordinatione cap. 8. observavimus. Mennas ab ipsomet Sancto Agapeto Papâ ordinatus fuit.

In magnis Annalibus & apud editores Conciliorum, Justiniani, & Agapeti Epistolæ leguntur cum appositâ notâ chronologicâ eropeâ, quam uti & alia quædam ex laudato Codice Vaticano correcta produco. Justinianus Epistolam misit ad Agapetum, cuius initium est: *Ante tempus in hac regiâ Urbe &c.* Narrat se edictum videlicet contrâ Accemetarum & sectatorum errorem, itemque Nestorianos ac Eutychianos publicasse, ejusque tenorem Epistolæ abs se per Hypatium ac Demetrium ad Joannem Papam missæ, inseruisse: *Quam, inquit, pro integritate fidei memoratus predecessor vester libenti granulatione suscipiens, suo ac totius Ecclesia Romanae firmavit assensu.* Quarè in Synodo Joannes Papa tria memoria Capitula de Christo uno ex Trinitate: de Deo Verbo in carne passo, impassibili Deitate; & de beatâ Virgine verè & propriè Dei genitrici, approbat. Rogat Agapetum ut Epistolæ insertas suas ad Joannem literas Apostolicâ iterum auctoritate confirmet, iisque recitatis, concludit: *Qua-*

M 3 mobrem

mobrem petimus sanctitatem vestram, ut memoratam Epistolam vestram auctoritate firmetis, & Cyrum, vel sequaces ejus, à communione habeatis alienos, donec statutis sanctitatis vestre obtemperent &c. Data pridie Idum Martiarum Constantinopoli, post consulatum Belisarii V. C. nempè anno 536. Hæc planè nota Consularis in laudato Codice Vaticano legitur. In magnis Annalibus ad annum 535, & apud Binium tom. 2. Conc. pag. 417. ac Labbeum Tom. IV. Conc. p. 1790. dicitur: Data pridie Idum Martiarum C-P. Flavio Belisario V. C. Consule; id est anno 535. quo mense Agapetus nondum erat Pontifex; nam ejus ordinatio in Januarium ex eum excepit retrahenda foret, ut Imperator ex Thraciâ ad eundem scribere potuisset, cum tamen Agapetus prima ad se à Justiniano missæ epistola responderet Idibus Octobris A. 535. ut patet ex epistola 4. ejusdem, sub exordio: *Licet de Sacerdotii mei primitiis &c.* Hinc perperam in titulo dicitur epistola missa ab Imp. Justiniano more majorum ad Pontificem Romanum recens cœlum cum professione fidei; siquidem jam antè annum Agapetus Romæ federat Pontifex, aliasque ad eundem literas Imperator misserat.

Idem Justinianus tertio à memorata Epistolâ die, professionem fidei abs se signatam, ad Agapetum destinavit. In laudato Codice pag. 45. col. 1. grandioribus literis legitur: *Exemplar piissimi D. N. Justiniani Imperatoris, quem dedit Agapito Constantinopolis de Fide;* & incipit: *Prima salus recta fidei &c.* Labbeus loco cit. pag. 1790. undecim prioribus libelli versibus recitatis, addit: *&c. ut supra post Epistolam Bonifacii II. pag. 1686.* quo tamen loco ait, à callido veteratore eum libellum confictum. In Annalibus Cardinalis Baronii ad annum 535. dicitur ea professio fidei esse illa ipsa, quam Hormisdas per Legatos Constantinopolim missos, tradidit iis, qui communionem cum Apostolica Sede expetebant. Errore corrigo ex laudato Codice, in quo libellus ibidem recitatus, idem omnino est cum relato à Binio pag. 670. & Labbeo pag. 1801. Professio fidei ab Hormisdâ imperata, legitur annexa Epist. 51. Hormisdâ ad Episcopos Hispaniæ, & antea epist. 9. ad Joannem Nicopolitanum. Hæc autem prioribus quidem versibus similis est libello à Justiniano oblatu, sed postea hoc ipso est brevior, ac tota in anathematizandis hereticis eorumque fautoribus, consistit; cum tamen in libello Justiniani Catholica doctrina contrà Nestorium & Eutychem plenè exponatur. Hic libellus Justiniani in Cod. Vaticano signatur: *Dat. XVII. Kal. Aprilium P. C. (id est; post consulatum) Belisarii V. C.* In prioribus editionibus legebatur: *Flavio Belisario V. C. Consule, quem errorem Binius ac Labbeus expunxerunt, apud quos pro XVIII. Kal. reponendum est XVII. Kal. Aprilis, anno Vulgaris Epochæ 536.*

Agapetus Justiniani Epistolam cum insertis literis ad Joannem II. Pontificem, rescripto ad eundem Principem approbavit. Initium Epistolæ Agapeti est: *Gratulamur, venerabilis Imperator &c.* Significat Justiniano expositionem fidei ab illo per Legatos ad decessorem Joannem missam, & ab eodem Præsule roboratam, se quoque & laudare, & amplecti, addens: *Non quia Laici auctoritatem prædicationis admittimus, sed quia studium fidei vestre Patrum nostrorum regulis convenientis confirmamus, atque roboramus.* Et postea quoslibet eidem professioni fidei præsentis definitione iterum confirmare, repugnantes, sanctæ communionis extraneos declarat. Delude ait: *Vnde*

& Cyrum ejusque sequaces jam antè pro hac insania ab Ecclesiæ Catholice communione suspensos, nisi resipiscant, nullatenus patimur eos sacra communioni restituiri. Insaniam vocat Accœmetarum obstinatam pervicaciam, quæ contrà definitionem à Joanne II. emanatam, negabunt Christum unum esse ex Trinitate. Tum inferit Epistolam Imperatoris ad Joannem II. & denique concludit: *Et huic Fidei quisquis contradicere præsumperit, à Catholica communione ne revertit alienum.* Data XV. Kal. Aprilis, Constantinopoli, post Consulatum Belisarii V.C. Hoc charactere Consulari in laudato Codice designatur annus 536. Apud editores Conciliorum gravi hallucinatione scriptum est: *Datum XV. Kal. Aprilis, Constantinopoli, Flavio Belisario V.C. Consule:* non observantes Agapetum die 18. Martii anno 535. quo Belisarius Consulatum gesse, neutiquam fuisse Constantinopoli, quæ in Urbe disertè signatur data Epistola Agapeti. Hic vero sanctissimus Pontifex paulò post dum redditum in Italiam pararet, vitam cum pontificatu in eadem regiâ Urbe reliquit. Mense sequenti Menas novus Patriarcha præsentibus Episcopis Italizæ, qui fuerant in comitatu Sancti Agapeti, Synodum celebravit, in quâ Anthimus, Severus ex Antiochenâ Ecclesiæ profugus, aliique Acephali damnati sunt, quos etiam Justinianus mense Augusto publico editto proscriptis, in cuius fine pacem reipublicæ precatum: *quam, inquit, magnus Deus & Salvator noster Jesus Christus UNUS TRINITATIS, unigenitus Dei Filius predicit, ac donat.* Ita illam propositionem tot antea annis ister Catholicos vehementissimâ animorum contentione ac multiplici opinionum diffensione disputatam, semel tandem & iterum ab Apostolica Sede intrâ biennium in fidei dogmata semet auctore transcriptam, suis contrâ hæreticos edictis inseruit.

Hinc factum est ut non tantum Catholicî, verum etiam hæretici, Justiniani sive gratiam sibi conciliaturi, sermonem cum eodem de uno ex Trinitate carne passo, instituerent; sive adversarios apud eundem in discrimen vocaturi, eosdem laudatam thesim negare criminarentur. Facundus Episcopus Hermianensis in Africâ libros pro tribus Capitulis ipsius Justiniano nuncupatos, odiosum Principi, ac sibi invidiosum opus, scribere aggressus, nil aptius non dicam ad Imperatoris gratiam captiandam, sed ad iram mitigandam, procemti loco se præfari posse putavit, quam initio ducto ab illâ propositione, pro cuius confirmatione ab Apostolica Sede impetranda idem Imperator tot ad Hormisdam literas scriperat, dein insignem ad Joannem II. legationem misserat, ac denique coram præsente Sancto Agapeto ipsam egerat. Etenim Facundus cum initio statim libri primi prænotasset Nestorianos atque Eutychianos, contrariis quidem invicem erroribus, sed pari tamen impietate, mysterium Incarnationis Dominice oppugnare, decimo planè versu ait: *Quid salubriss., vel quid evidenter adversus utramque heresim dici potuit, quam quad ipse confessus es, unus de Trinitate pronobis crucifixum?* Quam postea Catholicam sententiam validis argumentis, ac luculentis sacrarum literarum testimoniosis confirmat. Cum idem Justinianus Constantinopoli Collationem Catholicos inter & Severianos Episcopos indixisset, primas illorum partes egit Hypatius Ephesiorum Metropolita, qui, ut prænarravi, à Justiniano ad Joannem II. Pontificem Legatus, memoratæ thesis de Christo uno ex Trinitate approbationem ab Aposto-

Apostolica Sede impetraverat. Cum verò altera die Collationis Episcopi Acephali acrius à Catholicis premerentur, ad insidias versi, calumniam apud Principem Catholicum per emissarium secretò intenderunt, tanquam non consitentibus Deum passum carne, vel unum eum esse de sancta Trinitate. Accusata apud Principes innocentia, in lubrico dubioque loco versatur, si per calumniam quispiam ejus fortasse reus criminis denuntietur, quod odi Princeps quam maximè. Hinc Justinianus eà accusatione permotus, Epiphanius Patriarcham ac Hypatium ad colloquium admissos, percunctatus est, anne faterentur, Deum esse, qui carne passus est, atque unum eum esse ex Trinitate? Tum illi utrumque se credere professi, illatam sibi ab hereticis calumniam contuderunt. Hec Collatio recitatatur ab editoribus Conciliorum sub Pontificatu Joannis II. quam quidem constat super Epiphanio Patriarcha peractam fuisse. Hic autem obiit die 5. Junii anno 535.

Verum nec repetita famosa thesis per Apostolicam Sedem comprobatio, nec talis tantu[m]e Justiniani Imperatoris in eadem publicis editis inculcanda conatus, Monachos Accemetas ad eandem admittendam adduxerunt. Liberatus Diaconus, qui apud demortuum Agapetum Africanæ Ecclesie Legatum egit, in Breviario, quod post mortem Vigilii Papæ, nempè post annum 533. descripsit, cap. 20. cum narrasset propositiones de uno ex Trinitate carne passo, ac B. Virgine verè & propriè Dei genitrici, à Joanne Papa approbatas fuisse, ait: *Acujus communione discentes Romæ quidam Monachi, Accemicorum Legatos secuti sunt, & usque nunc hanc de Christo confessionem non recipiunt.* Ita ingens controversia de uno ex Trinitate, qua ex Monasteriis Scythiae primùm erupit, post diuturniores contentiones, Pontificiis constitutionibus, ac Imperatoriis editis profligata, in Accemetarum cellulas tandem redacta, nisi apud schismaticos aut hereticos postea locum inventit. Etenim Nestoriani duas in Christo personas adtruentes, Christum unum de Trinitate fateri recusabant; ac proinde Accemetas & Nestorianos esse, & haberi jussit Joannes Pontifex in epist. 3. ad Senatores. Nonnulli etiam Catholici quamvis definitæ thesis sententia defendenter, iis tamen verbis vano planè scrupulo, uti recusabant. Facundus Hermianensis lib. 1. cap. 3. ait: *Sanè tacendum non arbitror, quod sint etiam Catholici, qui sicut credimus &c. superflue contraria de verbo contendunt: quia videtur eis, quod dici non debet unum de Trinitate pro nobis crucifixum, sed potius unum de Trinitate personam.* Victor Tunnonensis Facundi amicus, ac pœnarum socius, in Chronico ait: *Post consulatum Bassilii V.C. anno X. Libri duodecimi Facundi Hermianensis Ecclesie Episcopi resulserunt.* Est apud Victorem annus vulgaris Epochæ 550. quo nonnulli Catholici verbo tenus memoratam thesim averfabantur.

Post Agapetum, Silverius summus Pontifex Theodati Gothorum regis juffione ac minis initio creatus, Cleri postea consensu approbatus, anno altero pontificatus Theodore Augustæ ira in exilium missus, Vigilium exceptit. Cum post paucos annos Justinianus Acephalorum insidijs circumventus, editum contra tria Capitula promulgasset, maxima si quæ unquam alijs dissidia toto Christiano Orbe eruperunt, cum Episcopi Occidentalis Ecclesia publicatam contraria tria Capitula sententiam subscribere recusarent. Hinc Imperator cum Vigilio Pontifice egit, ut Oecumenica Synodus in regia Urbe co-

cta, obortam inter Catholicos controversiam dirimeret. Vigilius diu reluctatus, Imperatoris tandem sententia obsequens, Constantinopolim tardiori navigatione consultò usus, transmisit. At Synodus nisi anno postea à Vigilii adventu sexto celebrata est, nempe anno Christianæ Epochæ 553. quo die 4. Maii, Dominicæ, prima Collatio habita fuit. Interim Vigilius, qui Synodo interesse recusabat, die 14. ejusdem mensis celebre Constitutum publicans, suam in eodem sententiam circè tria Capitula declaravit: quod ipsum Constitutum Justiniano Augusto inscrivit. In eo autem laudata relatione Synodi Calchedonensis ad Marcianum Principem, ait: *Quam vos quoque vestris legibus, dum Orthodoxæ professione unum de sancta Trinitate Christum Deum ac Dominum nostrum confitendum adstruitis, ad testimoniū laudabiliter adduxiſis.* Catholicam professionem voca assertiōnē de uno ex Trinitate; ac ibi designat Epistolam Justiniani ad Epiphanium ejusdem Codici tit. de summa Trinitate insertam, ut superius adnotatum est, cùm ibidem ea relatio cum encomio Sancti Procli appelletur.

In hac Synodo controversia de tribus Capitulis prolixius discussa fuit; quod tamen Nestoriana atque Eutychiana paradoxa ac errores multorum adhuc mentibus infixi evellerentur, post octavam Collationem, Patres canones edidere, in quibus non semel illa etiam sententia de Christo uno ex Trinitate tanquam Catholicæ fidei dogma cunctis credenda proponitur. Nam canone IV. damnantur Theodorus ac Nestorius duas in Christo personas afferentes: & si quis non confiteatur unionem Dei Verbi ad carnem animatam animâ rationali & intellectuali, secundum compositionem sive secundum subsistentiam factam esse, sicut sancti Patres docuerunt, & ideo unam ejus substantiam compostam, qui est Dominus noster Jesus Christus UNUS DE SANCTA TRINITATE, talis anathema sit. In quo canone bina Monachorum Scytharum Capitula Synodali sententia confirmata sunt, videlicet de Christo uno ex Trinitate, necnon de Christo composto: de quo altero ibidem legitur: *Santa Dei Ecclesia utriusque, Nestorii atque Eutychetis, perfida impietatem reiciens unionem Dei Verbi ad carnem secundum compositionem confitetur, quod est secundum subsistentiam: Unitio enim per compositionem in mysterio Christi non solum inconfusa ea, quæ conveniunt, conservat, sed nec divisionem suscipit.* Rursus in canone V. Nec enim adiectionem personæ suscepit sancta Trinitas & incarnato uno de sancta Trinitate Deo Verbo. Quæ verba in Henotico Zeno-nis, & in laudato superius Justiniani edito continentur. In canone VI. damnantur negantes B. Virginem verè & propriè Dei genitricem fuisse; quod tertium erat Monachorum Scytharum capitulum: in quo tamen defendendo nullam Romæ difficultatem passi sunt. Denique canon X. speciatim conditus fuit, ad declarandam de fide Sancti Procli sententiam, ab iisdem Monachis recte quidem propositam, sed non æquè benè promotam. Canon in hæc verba conceptus est: *Si quis non confiteatur Dominum nostrum Iesum Christum, qui crucifixus est carne, Deum esse verum, & Dominum glorie, & unum de sancta Trinitate, talis anathema sit.* Hunc canonom iisdem omnino verbis, uti etiam alios inseruit Justinianus famoso contraria tria Capitula edito; & ante canones plurijs eandem propositionem repetit, ac Christum Dominum secundum subsistentiam compostum comprobat: *Et est etiam, inquit, post incarnationem unus*

# 136 Historia Controversiæ De uno &c.

de sanctâ Trinitate, unigenitus Filius Dei D. N. Jesus Christus, compositus ex utraque naturâ. Compositum autem Christum constemur, sanctorum Patrum doctrinam sequentes. Et post decem versus: Idem ipse D. N. Jesus Christus unus de sanctâ Trinitate, conglorificandus Patri & Spiritui sancto. Nec enim quartæ persona adhesionem suscepit sancta Trinitas, & incarnato uno de sanctâ Trinitate Deo Verbo. Justinianus hec edicta doctissimorum Antistitum consilio atque operâ procudebat, quibuscum diu noctuque posthabitis omnibus aliis curis, in divinorum dogmatum investigatione versabatur, uti testatur Eustathius Diaconus C-P. in vita sancti Eutychii apud Surium die 6. Aprilis. Hinc S. Agatho Papa in epistola ad Imperatores, quæ recitatur Act. IV. Synodi VI. laudans Justinianum, ait: *Et utique ab omnibus gentibus eius religiosa memoria veneracione digna censemur; cuius fidei relictudo per angustissima ejus edita in toto Orbe diffusa laudatur.* Ita celebris propositio tot annorum spatio sub lite inter Catholicos dimissa, à tribus Romanis Pontificibus, & à Synodo V. adprobata, eademque iteratis editis à Justiniano Imperatore populis inculcata, inter fidei dogmata deinceps recepta fuit solis Nestorianis contrâ eandem nequicquam marginantibus. In Synodo Lateranensi proximo facculo à S. Martino Papa & Martyre contrâ Monothelitas celebratâ, canone II. legitur: *si quis secundum sanctos Patres non confiteretur propriè & secundum veritatem ipsum unum sancte & consubstantialis & veneranda Trinitatis Deum Verbum è calo descendisse, & incarnatum ex Spiritu sancto & Maria semper Virgine, & hominem factum, crucifixum carne &c. condemnatus sit.* Hactenus de celebri quandam Controversiâ,



DISSE-